AMOR DIVINUS ADUMBRATUS IN D.N. JESU CHRISTO ELEGIARUM...

Guillaume : van der Hagen

Digitized by Google

6
19-b

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 F
48

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

20-1-2
6.-19.b.36

Digitized by Google

AMOR DIVINUS ADUMBRATUS IN D. N. JESU CHRISTO

ELEGIARUM LIBRI IV.

AUCTORE R. P. GUILIELMO VANDER HAGEN SOCIETATIS JESU.

BIBL·SEC·COLL·ROM·SOC·IESV

ANTVERPIÆ
Apud Viduam HENRICI THIEULLIER.

M DCC III.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Habes, mi Lector, Amores meos, & tuos. Diu eſt, cum moleſtè fero, Elegiam, natum Amoribus carmen, nullo ſuo merito traduci paſſim ad libidines & ſpurcitias decantandas. Notam hanc illi inuſſerant jam inde à cunabulis ſuis tam Græci quam Latini: quorum proterviam ſecuti non pauci Recentiorum, cenſuerunt, opinor, ſe veterum lepores in hoc genere carminis æmulari non poſſe, niſi unà flagitia adumbrarent. Fuere tamen qui ſecùs autumarunt, ſolaſque argutias mutuati, aurum ſine ſcoriâ in ſua poëmata derivare ſtuduerunt.

Eodem & ego conſilio uſus, pretioſum à vili ſecernere conatus ſum; quod ut minimo cum detrimento facerem, ne ab ipſo quidem Antiquorum argumento recedendum mihi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

duxi. Amores ſcilicet retinere placuit; ſed à ſordibus perpurgatos, ſed caſtos & innocuos, imo ſacros & divinos. Cogitanti autem, unde potiſſimum hos ignes elicerem, obtulit ſe ſtatim fons ipſe pietatis, nimirum generis noſtri Aſſertor, cujus vita, quot fluxit momentis, tot arſit luxitque igniculis vehementiſſimæ in nos caritatis. Hanc igitur vitam cum Elegis meis materiam delegeram, alienum non putavi, ſi per congruam Antonomaſiam Chriſtum Dominum *Amorem dicerem: quid enim potius, quam eum, cujus bonitatem tot gratiis & favoribus perſpectam habemus, ipſius Amoris nomine indigetare.*

Facem mihi hic prætulerunt graviſſimi Aſcetæ; atque imprimis S. Ignatius Martyr, cujus ſcitum illud de Chriſto patiente celebratur, Amor meus crucifixus eſt.

Accedit, quod nomenclatura illa anſam mihi præbeat, ludendi ſæpenumero ex Amoris in-

ingenio, veterumque nequitias innocuis argutiis emendandi.

Quod attinet ad metrum, in eo liberior fui: præſertim in libro 2. *&* 4. *ubi diſtycha non ſemper concludo vocabulis diſſyllabis; ſed numeros adhibeo Catullianos & Propertianos ad normam Græcorum; id quod ante me ſecuti ſunt Joannes Secundus in ſuis Eroticis, & Nicolaus Heinſius in Monobiblo. Placuit autem hoc genus ſcribendi, tum quod aptius mihi videretur exprimendis ſubinde diſertius conceptibus, tum etiamquod hoc pacto frequens illa repetitio Poſſeſſivorum, quæ alioqui caveri vix poteſt, in fine Pentametri, non infeliciter evitetur.*

Hoc autem, aliaque quo faciam ſucceſſu, tu judica, mi Lector: ſed unum, amabo, ne te fugiat. Quidquid hic damus de Amore divino, non continenti elucubratione elaboratum eſt, ſed ſubceſivis ferè temporibus excidit. Occupatus enim gravioribus curis, manum

iden-

identidem à tabula removere coactus ſum; nec ad opus redire licuit, niſi magno ſæpe intervallo; non pauca etiam pro vitæ meæ ratione in curribus, navibus, hoſpitiis excogitata & effuſa habes. Unde ſi multa ſint, ut erunt plurima, quæ deſideres in argumento tam nobili & copioſo; ea, quæſo, non tantum infantiæ meæ, ſed otii etiam & temporis anguſtiis tribue: ea vero, quæ forte non diſplicebunt, non mea eſſe cogita; ſed ejus, quem cano, cujuſque auſpiciis inchoatum & deductum qualecumque hoc opus tibi & luci trado. Fruere modò eodem, quo ſcriptum eſt, animo; neque tam curæ ſit paſcere intellectum, quam accendere voluntatem, ipſumque Amorem pro viribus redamare.

FACUL-

Digitized by Google

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

INfraſcriptus Societatis JESU *per Flandro-Belgicam Provinciam Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab Adm. R.P.N. Thyrſo Gonzalez, Societatis ejuſdem Præpoſito Generali, permitto* Viduæ HENRICI THIEULLIER Typographi Antverpienſis, *ut pro hac vice typis mandet libellum, cui titulus,* Amor divinus adumbratus &c. ELEG. lib. IV, *Auctore P. Guilielmo vander Hagen, ejuſdem Societatis Sacerdote, à tribus ad id deputatis lectum & approbatum. In cujus rei fidem has literas, manu meâ ſubſcriptas, & conſueto Officii ſigillo munitas, dedi Bruxellis* 14 *Februarii* 1703.

LIBERTUS DE PAPE.

Viſo

Digitized by Google

V Iſo & examinato Libello cui Titulus, Amor Divinus adumbratus in D. N. Jeſu Chriſto, Elegiarum libri IV *Auctore* R. P. GUILIELMO VANDER HAGEN *Societatis* JESU; *nihil invenimus fidei aut bonis moribus contrarium, imo ad verum ac caſtum amorem fovendum & augendum judicamus perquam utilem, ac proindè merito imprimendum. Actum Antverpiæ* 21 *Februarii* 1703.

I. L. De Carvajal Eccleſiæ Cathedralis Antverpiæ Canonicus Graduatus, Judex Synodalis, ac Librorum Cenſor.

Digitized by Google

ELEGIA PROOEMIALIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUid mihi vobiſcum eſt antiqua cacumina Pindi,
Caſtaliuſque lacus, laurigerumque nemus?
Ah! ſatis in veſtris operam malè luſimus antris,
Falſaque veſanus proluit ora liquor.
Mons alius rapit attonitum, meliorque latebra
Cogit Idumæis vertere plectra jugis;
Hîc ubi purpurei fontes, tutique receſſus,
Lignaque Daphnæis nobiliora comis.
Hinc mihi divinus venit impetus, & ſacer ardor
Altiùs antiquis ſurgere culminibus;
Et canere æternos morituri Numinis ignes:
Ut quondam humano corpore conſpicuus
Divus Amor, generis luiturus crimina noſtri
Se pœnis inſons obtulit innumeris.
Ah! valeant Paphiuſque puer, laſcivaque Mater,
Et quidquid veterum Muſa proterva canit.
Sanctior his ignis, ſummoque petitus Olympo,
Materies Elegis ſit, precor, una meis.
Scilicet hoc vatum eſt: ſic cantavere priores,
Cum populus ſimplex, & ſine labe fuit.
Nondum virgineas laſcivia noſtra Camœnas
Turpia mutato juſſerat ore loqui.
Nondum Callimachi, non Coi ſcripta Philetæ
Polluerant fontes carmine Caſtalios.

Digitized by Google

Nondum vel Nemeſis, vel Cynthia Muſa PropertI
Romanæ dederant nomina nequitiæ.
Nec malè congeſtas annis juvenilibus artes
Naſo Tomitano fleverat exilio.
Antè ſacri vates, ſacro de carmine dicti,
Geſtabant hederas, frontibus innocuas.
Laus erat & magnis tunc Regibus, eſſe poëtas;
Sceptraque quâ tulerant, ſumere plectra manu,
Et modo naturæ cauſas aperire latentes,
Aut rerum varias commemorare vices.
Et modo naturam ſupra ſe tollere in auras,
Inque domos cantu ſcandere Cælicolûm.
Æternique Patris laudes, ſimilemque Parenti
Progeniem caſtis dicere carminibus.
Nec deerant teneri, feſtivum carmen, amores,
Non tamen hîc verſus mollior ullus erat.
Ipſe, cui cœlo ſapientia venit ab alto,
Qualem nec tulerat, nec feret ulla dies;
Ipſe ſacros thalamos cecinit, flammaſque pudicas,
Et non ſolvendâ fœdera juncta fide.
Hæc ego jam relegens veſtigia, vincula dicam
Hactenus ignotis nexa cupidinibus.
Scilicet ut cælo genitus, terrâque renatus
Divus Amor noſtri captus amore fuit;
Fœderaque ingratâ tandem cum gente paciſcens,
Supremis moriens ſanxit anhelitibus.
Tu modò, Nate Deo, cujus ſub numine puppim
Solvimus, audaces ingredimurque vias,
Tu, precor, aſpira cœptis, ventoſque ferentes
Non durus modicis ſuffice linteolis.

Digitized by Google

O! ſubeat tempus (dulce eſt meminiſſe laborum)
Cum tanti quondam me tibi fecit amor;
Et ſenſus mihi pande tuos, acceptaque pro me
Vulnera nunc imis inſere pectoribus:
Da ſine te ſileam, te ſim dictante diſertus;
Omne tuo vati, te duce, carmen eat.
Ardeat & flammis, quas te ſtimulante ciebit,
Meta ſit hæc operis, principiumque mei.

LIBER I.

ELEGIA I. *Amor homo factus.*

QUis Puer ille, recens liquidas eductus in auras,
Subſtratâ recubans palpitat in ſtipulâ?
Nil certè mortale refert, lux aurea vultu
Irradians divum denotat eſſe genus.
Ergone tot votis hîc eſt, lacrymiſque petitus,
Et tandem Superûm munere, miſſus Amor?
O ubi ſum! quæ ſeſe oculis miracula noſtris
Oſtendunt! terris naſcitur ecce Deus;
Indutuſque hominem, parvi ſub culmine tecti
Vix benè congeſtis vagit arundinibus.
Felices nimium ſtipulæ, cannæque paluſtres,
Tantus ubi voluit ſternere membra Puer!

Digitized by Google

His ego cygnæas dicam concedere plumas,
Et quæ dives opum vellera tondet Iber:
Aut ſi quod gracili deductum ſtamine filum,
Mollius [illegible] naſcitur in foliis.
Vos quoque felices panni, qui paupere cultu,
Integitis puris pectora faſciolis;
Invideant vobis Tyriæ velamina terræ,
Et quidquid Coo murice, tinxit anus.
Docta manus, varium quamvis intexuit aurum,
Signaque ſtant flavis aſpera Chryſolitis.
Nec vos prætercam Domini præſepia, cunæ,
Non benè commiſſis condita ſtipitibus;
Ut neque materies, neque forma ſit utilis illa,
Quæ capiat natum, pignora tanta, Deum;
Ipſe facit pretium vobis, cunabula quando
Hæc Puer auratis præpoſuit thalamis.
Quid loquor! & fruſtra non auditura fatigo
Ligna, quid ad ſtipulas irrita verba fero?
Huc oculos converte tuos, tu poſceris una,
O anima! ô tanti conſcia prodigii.
Aſpice quid tandem pro te, duriſſima rerum,
De tanto fieri numine gaudet Amor.
Hactenùs è Superûm fugientem ſede ſecutus,
Eminùs emiſſis te petiit jaculis.
Jam propior, ſimileſque tuis circumdatus artus
Nativis etiam provocat illecebris.
Neve viri ſpecies forſan deterreat, Infans
Naſcitur, ætatis blanditiaſque ferens,
Parvus adeſt, quales teneri pinguntur amores,
Cum primùm pennas explicuere ſuas.

Forma

Forma tamen ſuperat, ſimiles cui fingere vultus
Artificum doctæ non potuere manus.
Scilicet ipſe ſui formavit corporis artus;
Cunctaque qui fecit, ſe quoque fecit Amor.
Ipſe ſibi roſeaſque genas, oculoſque nitentes,
Labraque Erythræis æmula coraliis,
Collaque lacteola, & digitos effinxit eburnos,
Membraque non tactis æqua dedit nivibus.
Et quamvis non ſit jaculis inſtructus & arcu,
Et quatiat nullam dextera parva facem;
At non flamma deeſt, vultu venit ignis ab illo,
Ut micat Eoo Lucifer è thalamo.
Fallor an & limis te reſpectavit ocellis,
Atque aliquid tenui murmure, molle ſonat?
Parvaque diducens cum dulci brachia riſu,
Geſticulans motis provocat articulis?
Aſpicis hæc, nec adhuc formâ, nec tangeris annis,
O lapis! aut ſi quid durius eſt lapide.
Ecce recèns nato tanguntur cætera Amore,
Signaque dant animi qualiacumque ſui.
Jam poſuit Boreas, & mitior aura Favoni
Mulcet odoratis limina flaminibus.
Ipſa quibus recubat molleſcere gramina dicas,
Et leviùs flexis pungere cuſpidibus,
Ipſæ adſunt pecudes, & deſuper incumbentes
Membra fovent tepidis frigida ſpiritibus.
Omnia cum cedant, tu ſola reſiſtere perges?
Tu, cui præcipuè naſcitur ille Puer?
Exue quod rigido geſtas in pectore ſaxum,
Et placido tandem te quoque redde Deo.

Temporis exacti ſi fortè piacula terrent,
Quid, precor, in puero, quod verearis, habes?
Ne timeas, frontem nunc exuit ille ſeveram,
Durior hæc ætas, ut velit, eſſe nequit.
Fac tamen iraſci: pueri placabilis ira eſt.
Nux ſatis, ut rurſum concilietur amor.
Tu modò naſcentem formâ venerare ſub illâ,
Et Dominum ſupplex, ſicut amaris, ama.

Eleg. II. *Amor è Virgine natus.*

ITe Dionæi, fallacia numina, Amores,
Et Veneris divum tollite ad aſtra genus.
Qualiſcumque fuit, quæ vos eduxit in auras,
Non peperit natos intemerata ſuos.
Hic Amor intactâ de Virgine prodiit Infans,
Cumque Deo genitus creditur eſſe pudor.
Quid ſit Hymen, Mater, quid ſint connubia, neſcit.
Quidve maritali zona ſoluta manu.
Altior humanâ virtus, & neſcia labis,
Adfuit: hunc uterum virgo parenſque tulit.
Non aliter, quam cum vacuas Tithonia conchas
Implet Erithræis roſcida littoribus;
Aut veluti radiis dum fulget Cynthia plenis,
Cuncta ſolent puris turgere ſeminibus,
Scilicet ille ſuo qui numine dicitur olim
Deſuper obſcuris incubuiſſe vadis;
Amplexuque fovens ſterilis primordia mundi,
Omniparas nullo ſemine fecit aquas;
Idem virgineos implevit ſanctior artus
Spiritus; hinc titulum filia Matris habet.

Sed

Digitized by Google

Sed neque conceptu partus variavit ab illo,
  Purior eſt ipſo facta puerperio.
Qualis inoffenſum tranſit lux aurea vitrum,
  Et nullis fulgor permeat indiciis.
Talis, virgineâ poſtquam ſuccrevit in alvo,
  Corporis illæſi proſiliit latebris,
Emiſſuſque foras, tamquam lux altera mundo,
  Divinis Infans emicuit radiis.
Non anus auxilio venit, fœtumve morantem
  Debuit artifici ſollicitare manu.
Ipſa Parens dulci tantum reſoluta ſopore
  Effuſum caſtos repperit ante pedes;
Accipienſque ſinu roſeis dedit oſcula labris,
  Involvens nitidis corpora faſciolis.
Sed quis alet lactentem? in Virgine deficit humor
  Lacteus, & ſiccis non fluit uberibus.
Fallor? an hic etiam naturam gratia vincit,
  Et decus hoc caſti Mater Amoris habet?
Ecce puellares avido petit ore papillas,
  Seque Puer ſuccis proluit Ambroſiis.
Seu lac illud erat, ſeu puri nectaris humor,
  Sive aliquid venâ nobiliore fluens:
Quidquid erat, niveos ducens de pectore rores,
  Turgidulis Infans pendet ab uberibus;
Donec languida colla ſoporibus inclinatus
  Subjectum pronus volvitur in gremium.
Illa ſilens, tacitâque ſtupens miracula mente,
  Fixa tenet caris lumina pignoribus.
Et quiſquam caſtos poſthac contemnat amores,
  Aut Paphio tinctas præferat igne faces?

Digitized by Google

Vos, quibus illæſi perſtat flos integer ævi
  Vos quoque de tanto pars manet una bono.
Quid juvat ætatem vanis conſumere tædis,
  Et tantum carnis quærere delicias?
Ah! quanto melius coëunt in fœdere mentes,
  Diviniſque calent corda cupidinibus.
Nunc quoque conjugio tali ſine crimine proles
  Naſcitur, inque ſinu pectoris excipitur
Divus Amor, gaudetque piis amplexibus uti,
  Atque iterum puri munere lactis ali.
Felices animæ! felicia pectora, tantum
  Ut totidem Matres progenitura Deum!
Non hæc longa gravant noni faſtidia menſis;
  Non cruciat duri pœna puerperii.
Non gravis eſt ulnis hæc ſarcina, ſed leve pondus,
  Fonſque voluptatum fertilis omnigenûm.

Eleg. III. *Amor caduceator.*

Sat furiis, odiiſque datum: diſcordia terris
  Exulet, & pinguem ſanguine linquat humum.
Miſſus Amor cœlo eſt, allataque lætus Olympo
  Inſuetis adfert otia terrigenis.
Si non aut manibus viridem prætendit olivam,
  Aut placidum blando nomen in ore ſonat,
At Superûm pendens Geniorum candida turba
  Subvolat, albenti tempora vincta comâ;
Et Domini verbis poſitas denuntiat iras,
  Queis pietas animos non ſinit eſſe truces.
Quamquam nec verbis opus eſt: facundior illis
  Eſt Puer, & plus quam pondera vocis habet.

Pacem

Digitized by Google

Pacem oculi, pacem ora ferunt, veniamq; loquuntur.
En etiam teneras extulit ipſe manus;
Mutuaque oblatis expoſcens fœdera palmis,
Quà licet, orator pro Patre Natus adeſt.
Provocat & nomen, nec nomine durior ætas:
Pacis amans Puer eſt, conciliator Amor.
Cedimus? an ſumptis etiamnum ſtamus in armis,
Et rabies nobis illa paterna manet?
More gigantæo furias jactamus inanes,
Inque ipſum rabidi pergimus ire Deum?
Quid, precor, hoc bello niſi funera mille relata?
Ah furor eſt clades addere velle novas.
Pars bona tartareas jam fulmine miſſa ſub umbras,
Heu! jacet æterno diſcrucianda rogo.
Nos quoque vulneribus fracti, niſi protinùs arma
Ponimus, exitio proxima turba ſumus.
Qui volet, intereat: mihi non tam dira cupido eſt.
Me pietas, quem non fregerat ira, domat.
Ecce prior jacit arma Deus, pacemque repoſcit,
Is quoque qui belli jure rogandus erat.
Adjicit & leges, ne ſit probroſa, decoras;
Pluraque, quam rapuit, reddere ſpondet Amor.
Neve fides promiſſa labet, ſubſcribere fœdus
Sanguine ſignatum non negat ipſe ſuo.
Accipio, reddoque manus, vos bella ciere
Pergite, queis furor eſt ultima noſſe mala.
Ferrum ego projicio, ſcelerataque ſigna relinquens,
Oblatâ propero conditione frui.
Tu mihi ſponſor Amor ſis fœderis atque ſequeſter,
Ad Patrem facilem tu mihi redde viam.

Hoc

Digitized by Google

Hoc duce non verear, Regum mitiſſime, ſupplex
Ad tua ſecuro caſtra venire pede.
Sit procul ex animo ſceleris quidcumque peractum,
Pœnitet heu! facto diſcruciorque meo.
Pax & amor ſubeat nullo violabilis ævo,
Sitque fides quâ non firmior eſſe poteſt.
Qui tuus hoſtis erit, noſtro quoque Marte petatur:
Sitque mihi ſocius, qui tibi junctus erit.
Semper amicitiis odiiſque vacabimus îſdem.
Scripta ſit hæc animo lex, precor, una meo.

Eleg. IV. *Amor dormiens.*

O Benè! languidulis obrepſit ſomnus ocellis,
Perfundens guttis membra ſoporiferis.
Leniter impulſis immurmurat aura labellis,
Ut gemit argutis ſibilus in foliis.
Motibus exiguis ſpirantia pectora ſurgunt,
Atque iterùm parvâ detumuere morâ.
Cætera ſopitis torpent reſoluta medullis,
Ut formata recèns marmore ſigna jacent.
Mitiùs ô rapidi perflate mapalia venti,
Et procul hinc vaſto bella ciete mari.
Turpe recèns nati Pueri turbare quïetem,
Inque caſam vires exeruiſſe ſuas.
Aptiùs aſpirent pennis fragrantibus auræ,
Quas matutinis roribus irriguas,
Eductaſque roſis, & puniceis hyacinthis,
Fundere vicinis aſſolet hortus agris.
Vos quoque, præmoneo, qui cunas viſitis illas,
Suſpenſo taciti limen adite gradu.

Nec

Nec lapis offendat, nec acutum ſtridula murmur
  Excitet emotis janua cardinibus.
Sed neque cum dabitur Puerum ſpectare jacentem,
  Vox precor incautis excidat ulla labris.
Non tuſſim, non ſputa volo, diſcedite tectis,
  Queis movet heſternum viſcera cruda merum.
Sit ſatis exiles contractum Numen in artus,
  Attonitis coram cernere luminibus;
Pluraque quæ fugiunt oculos abſcondita noſtros
  Interiùs cupidis volvere pectoribus;
Aut etiam propiùs tacitis adrepere plantis,
  Et leviter flexo procubuiſſe genu;
Aut ſuperimpoſitâ cunabula tangere dextrâ,
  Et pedibus caſtum figere baſiolum.
Auguror exſurget tactu novus ardor ab illo,
  Nec capient flammas fervida corda ſuas.
Non tamen in voces ſe flectere lingua ſonoras
  Audeat, hic noſter dùm requieſcit Amor.
Dormiat ô! primumq; trahens per membra ſoporem,
  Gaudeat in multam continuare diem.
Hei mihi! cur raro duxit ſuſpiria motu?
  Cur ſubitò roſeus vertitur ore color?
Cur caput abducit fugiens, ſimiliſque neganti
  Altius impreſſo dat mala ſigna toro?
Quid Puer exhorres? an imagine luderis atrâ?
  Primaque nox membris irrequieta venit?
Quæ precor hæc ſpecies, & cujus crimine oberrat?
  Dignus hic eſt nullâ poſſe quiete frui.
Dignior immiſſis agitari ſemper ab umbris,
  Strataque jactato corpore dura queri.

Vos

Vos precor ô mecum fugientes ſiſtite ſomnos,
  Vos quibus hic cœpit carior eſſe Puer.
Aut modò diverſâ præſepia ducite parte,
  Mulcentes levibus colla papaveribus;
Aut modò lethæo perfundite tempora rore;
  Quas perhibent curas pellere poſſe graves.
Sic, puto, ſopitâ, pariter cum corpore, mente,
  Tartareos repetent ſomnia nigra lacus.
Quid tamen hæc memoro? cauſam fortaſſe dolori
  Ipſe dedi, medicam qui volo ferre manum.
Me quoq; ſpreturum Deus hic præſentit amorem,
  Pervia nec telis corda futura ſuis.
Hinc abrupta quies, oblataque triſtis imago
  Lurida, turbatâ ſomnia mente ciet.
Ah! furor eſt iſto Puerum percellere faſtu;
  Convenit indomitis impetus ille feris.
Nec volo, nec poſſum, quidquid malus incitet ardor,
  Vix modò naſcenti tam ferus eſſe Deo.
Ipſe priùs peream, noctique immerſus opacæ
  Semper agam ſtygiis irrequietus aquis.
Quam Puer hic, noſtræ perculſus imagine culpæ,
  Debeat in luctus evigilare novos.

ELEG. V. *Amor evigilans.*

SOmne, quid ulteriùs noſtros amplexus amores,
  Vincta tenes nexu membra papavereo?
Quid mundo natos ſubducere pergis ocellos,
  Surgentemque facis ſole carere diem?
Sat tibi defeſſos invadere noctibus artus,
  Et tenebris tenebras accumulare tuas.

Luce

Luce ſopor nil juris habet, niſi cum mala febris
Ægra diù quaſſo contudit oſſa toro;
Aut ſi quem curis inſomnes ducere lunas
Videris, & ſerâ velle quiete frui.
Illuc jam tacitis fas eſt ſubrepere pennis,
Illuc lethæi ſpargere fontis aquas.
At mea, quæ totâ tenuiſti gaudia nocte,
Improbe, nunc ſaltem reſtituiſſe decet.
Ibis? an expectas, donec criſtata volucris
Obſtrepat ingratis garrula carminibus?
Jam ternos dedit illa ſonos, lucemque reduxit;
Tu tamen ignavas ducis inepte moras.
Ni properes, jam dira tibi cantabit aſellus
Ad Pueri cunas, quem modò ſtare vides.
Jam propè qui ſtabulat, mugitibus aëra rumpet,
Cymmerioſque fugâ coget adire lacus.
Audior: excuſſo ſolvuntur vincla ſopore,
Seque toro rurſus libera membra movent.
Spiritus ore venit, qualis non antè fluebat,
Cum gravis alternis ibat anhelitibus.
Jamque manus thalamo Puer extulit, udaq; mulcens
Lumina, fumantes admovet articulos.
Illa levi motu paulatim aſſueſcere cælo,
Immiſſamque aliquâ ſumere parte diem;
Dum tandem radiis majoribus apta ferendis,
Ex toto nitidos explicuere ſinus.
Jam dormiſſe decet: ſomno novus ardor ab illo
Naſcitur, & major, quam fuit antè vigor.
Omnibus eſt membris decor additus: aſpice, ut ora
Suaviùs humidulis erubuere genis,

Lumina

Lumina præcipuè radiant; parvumque mapale
Aſtrifero cœpit non minus eſſe polo.
Salvete ô oculi, mea ſidera, vos ego lætor
Conſpicuum terris exeruiſſe jubar.
Vos vigili flammâ noſtris attendere nati
Rebus, & humanis invigilare bonis.
Vos in amore duces radiis felicibus ignes
Veniſtis gelidis indere pectoribus.
Si qua fides priſcis, oculis amor omnis in ipſis
Fertur ut in propriis vivere liminibus;
Unde ſuas vibrare faces, nervoque ſonante
Tela ſolet certis mittere vulneribus.
Quidquid id eſt, hæc tu nobis miracula præſtas,
O Puer! ex oculis impetimurque tuis.
Inde novos radios totum diffundis in orbem,
Veraque lux cæcis mentibus exoritur:
Inde ſacrâ flammâ comburimur, & rúde pectus
Non priùs expertum vulnus amoris habet.
Auguror, hæc virtus cum tempore creſcet ocellis,
Spectantûmque animis vulnera plura feret.
Jam video turpi conſuetum vivere quæſtu,
Impia conſpecto linquere lucra Deo;
Jam ſemel intuitam, fuſis plorare capillis,
Fabula quæ totâ nuper in urbe fuit.
Te quoque Ioniade, cum præfidentia fallet,
Et Dominum faciet ſæpè negare tuum;
Læſus Amor rurſum jaculis utetur iiſdem,
Præteriens mediâ reſpicienſque viâ.
Tunc licet in ſolidam tranſiſſe videbere petram,
Nec jam nominibus mollior eſſe tuis;

Incipies

Digitized by Google

Incipies uno miteſcere luminis ictu,
Ejurans trinæ crimina perfidiæ;
Agnoſceſque Deum, largoſque ſolutus in imbres
Ibis, ut admoto dum fluit igne gelu.
Ipſe ego fortaſſis numero cenſebor in illo,
Non veritus tanto perfidus eſſe Deo,
Quemque nefas ducam juratis lædere verbis,
Audebo factis fortè negare meis.
Heu! oculos ne claude, Puer, ſed ſemper apertis
Me quoque, commiſerans, reſpice luminibus.
Hac Amor è pharetrâ ſua ſpicula promere pergat,
Illo ſuccenſas ingerat igne faces.
Tunc ego convincar nulli concedere ſaxo,
Æraque duritie vincere poſſe meâ;
Aut tot miſſilibus victus, tot amoribus impar,
Subjiciam regno libera colla tuo.

ELEG. VI. *Amor Lacrymans.*

QUales humidulæ trepidāt per gramina gemmę,
Cum primùm æquoreis Cynthius exit aquis;
Qualis ab Heliadum diſtillat frondibus humor,
In ſolidas nondum quem mora vertit opes;
Qualia Panchæis ſudantur balſama lignis,
Leniter inciſis deflua corticibus;
Tales turgidulis lacrymæ volvuntur ocellis,
Quas tener à tepido pectore fundit Amor.
Collige, ne pereant, pretioſas corpore guttas,
Mater, & humentes ſedula terge genas.
Suſpicor, ex oculis hic nobis decidit imber,
Primaque fert mundo munera divus Amor.

Jam

Jam nunc, quid ſit Amor, læſis ſentire medullis
Incipit, & madidis ſignificare genis.
Creſcat Amor, pariter creſcetis pectore curæ,
Venaque profuſis largior ibit aquis.
Non tot vere novo ſe floribus induit arbos,
Cum primùm tepidis incaluit Zephyris.
Non tot, nudatis Autumni frigore ramis,
Silva jacet foliis ſquallida deciduis;
Quot Puero quondam venient in amore dolores:
Plus aliquid ſemper, quod lacrymetur, erit:
Sed malè ſolamur majoris imagine luctus:
Materies lacrymis naſcitur inde novis.
Ah potiùs ne crede, Puer; jam dicta retracto,
Et cupio rapidos omina ferre Notos.
Plus ſatis eſt doluiſſe ſemel, reſolutaque fletu
Lumina purpureis erubuiſſe notis.
Quid tamen eſſe rear, quod vix eductus in auras
Ingemis, & planctu conſcia tecta ſonant?
Dic, Puer, aut aliquo nobis ediſſere ſigno.
Sæpè levat tacitum plaga retecta malum.
Si quibus incumbis, pungentia ſtramina lædant,
Accipe pro ſtipulis pallia noſtra tuis.
Si gravis offendat ſonitus ſtridentis aſelli,
Mox hic in ſcabro tergore ſtipes erit.
Frigora ſi noceant, ſtructo ſuperabimus igni:
Materiem flammis proxima ſilva dabit.
Hei mihi! ſecurus teneros quid torqueat artus,
Plura dolens animo ferre videtur Amor.
Nam neque maternis requieſcens molliter ulnis,
Parciùs effuſis ora rigavit aquis.

Nil

Digitized by Google

Nil quoque blanditiæ proſunt Matriſque Patriſque,
Nil libata labris oſcula lividulis.
Nil numeri valuere mei: ſolatia cuncta
Saucius, occulto vulnere, ſpernit Amor.
Sed Puer eſt, ſenſuque carent expertia fraudis
Pectora; quis potuit vulneris eſſe locus?
Lædere qui nullum valuit, quis læſit Amorem?
Cur pietas odio, vix benè nata, fuit?
Stulte, quid hæc iterum, nimium tibi nota, requiris?
Quodque facis, fieri non potuiſſe, refers?
Hic Deus, humanos cum pro te ſumeret artus,
Induit & vitæ facta nefanda tuæ.
Fontibus ex illis dolor hic, & fletus obortus,
Prima luit noſtræ crimina nequitiæ.
Cedis? an obduras, nec causâ motus eâdem
Ipſe tuâ ploras vulnera facta manu?
Hoc age, ſi mœſti ſpecies te tangit Amoris,
Ad Pueri fletus tu quoque junge tuos.
Proderit in pœnâ ſocius, minuetque dolorem,
Alter in alterius ſi doleat lacrymis.

ELEG. VII. *Amor Paſtoribus annuntiatus.*

PLaudite Ruricolæ: rediit ſua gloria campis,
Divus Amor veſtris naſcitur in ſtabulis:
Tectaque deſpiciens fulvo ſplendentia ab auro,
Eligit in vili delituiſſe casâ.
Jam, reor, antiqui tempus renovabitur ævi,
Cumque ſuo venient tempore ruris opes.
Rurſus odoratæ ſudabunt balſama quercus,
Et patulis nectar defluet ilicibus.

Lac iterùm rivis & mella liquentia current,
Pendebitque rubis uva racemiferis.
Sponte ſuâ Tyrio pingentur vellera aheno,
Nec ſterilis toto de grege mater erit.
Sponte ſuâ gravidis meſſis canebit ariſtis,
Nec capient fruges horrea plena ſuas.
Poma laborantes rumpent nutantia ramos,
Omnis & in ſilvis utilis arbor erit.
Parva loquor: majora manent hoc hoſpite dona.
Auditis? cælum jam bona ſigna dedit.
Cernitis? Aligerûm ſupra caput adſtitit agmen,
Et multâ circùm luce coruſcat ager.
Lætaque vox ſonuit; Paſtorum candida turba,
Ite citi, cunas viſere Bethlemias.
Vos Puer exſpectat ſub culmine natus agreſti,
Et brevibus pannis vix benè tectus Amor.
Amplexuſque petit, delataque nuper Olympo
Munera, ſimplicibus præparat agricolis.
Finierant monitus: ſacrum ferit æthera carmen,
Saxaque divinis laudibus icta ſonant.
Attoniti ſtupuere viri: vixque auribus ipſi,
Vix oculis credunt, anxia turba, ſuis.
Ne dubita, dilecta Deo ſuperiſque juventus;
Vos Amor ad cunas & ſua dona vocat.
Quæ non indè animis ſurgent incendia veſtris,
Cum Pueri coram ſtabitis ante pedes?
Et dabitur ſummas dextrâ contingere plantas,
Forſan & admotis figere poſſe labris.
Auguror: incipiet jam tum vibrare ſagittas,
Primaque ruricolis vulnera ferre Puer.

Sentiet,

Sentiet, & ſeptem Lycidas depromet avenas,
    Et dicet; ſolum te, Puer, uſque canam.
Nec Galathea meo rapiet de carmine partem;
    Non ſi me malis rurſus, ut antè, petat.
Alter, agro ſolitus creſcentes ducere meſſes,
    Comminuet calamos protinùs ipſe ſuos.
Ille volet raptas nunquam tetigiſſe capellas,
    Quas durâ mater fuderat in ſilice.
Pars melior, cui pura fluit ſine crimine vita,
    Menſque tenax priſcæ ſimplicitatis adeſt,
Altius accipient immiſſas pectore flammas,
    Ardoriſque ſui pignora plura dabunt.
Felices quibus iſta licent: nos fama minores,
    Votaque de tanto munere ſola manent.
Ite, pii juvenes, ſignatas viſere ſedes,
    Inque ſuo flammas quærite fonte novas.
Jam, puto, venerunt primæ ſub corda favillæ,
    Et nondum præſens urere cœpit Amor.
Hinc neque cura gregis, nec noctis opacior umbra,
    Nec tenet obſcuris ſemita tramitibus.
Curritis unanimes miracula cernere tanta;
    O! Iterum felix terque quaterque cohors!
Cur Puer hic noſtras potius non incolit urbes;
    Et ſubit auratas, aureus ipſe, domos?
Inque viros juveneſque togâ ſaguloque ſuperbos,
    Adductâ gaudet ſpargere tela manu?
Ah ſcio quid retinet, faſtus Puer odit inanes.
    Et fugit ambiguos candidus ipſe dolos.
Nudus opes nimias, ut pondus inutile, ſpernit;
    Contentus ſtipulis, panniculiſque ſuis.

Denique delicias animi, non corpora, quærit
Hic Amor; hinc exul urbibus eſſe ſolet.
Sinceraſque ſequens animas faſtuque carentes
Innocuos inter naſcitur agricolas:
Exerceniſque rudem per candida pectora dextram,
Prima jacit campis ſpicula Divus Amor.

ELEG. VIII. *Amor circumciſus.*

Dicta dies fulſit, ſolemnia ſacra parantur:
Quiſquis ades, linguâ carminibuſque fave.
Ara calet flammis: ſtat purâ in veſte ſacerdos,
Evinctus vittis tempora puniceis.
Jamq; minax cultrum manus extulit. Hoſtia tantùm
Poſcitur, Iſacidûm ritè litanda Deo.
Hei mihi! quid video? Non bucula ſiſtitur aris;
Non ovis intactó de grege templa ſubit.
Virginis in gremio teneris jacet hoſtia membris;
Vixque locum corpus, quo feriatur, habet.
Quis furor eſt, illos ferrum diſtringere in artus?
Quis furor, exiguos ſollicitare ſinus?
Credite, plus lactis, quam ſanguinis, exprimet enſis;
Vixque liquor medios imbuet ille focos.
Quis ferat hoc? ſiccisque genis altaribus adſtans,
Suſtineat tantam cernere ſævitiam?
Non potuit Mater; viſoque exterrita ferro;
Semianimis fertur procubuiſſe ſolo.
Non potuit Senior; ſed imagine tactus acerbâ,
Stat procul averſis illacrymans oculis.
Ipſe miniſterium refugit crudele ſacerdos;
Jamque tremens cultrum vix benè dextra tenet.

Solus,

Solus, qui petitur, jacet imperterritus Infans,
  Expectans placidis vulnera luminibus:
Quin animos etiam cunctantibus addere dicas:
  Ecce, renidenti provocat ore Puer.
Lacteolaſque manus & candida brachia jactans,
  Non obſcura animi dat monimenta ſui.
Quid refugis? dicturus erat, niſi verba negaret
  Lingua rudis: quid adhuc ſacra parata trahis?
Lex jubet: hoc ſatis eſt. Cur, cum jubet illa, recuſem
  Tantillas noſtri tradere primitias;
Sanguineas licet, & tenero de corpore ductas,
  Ut ſacer antiqui temporis uſus habet?
Ut tamen officio me Lex abſolvat ab iſto,
  Poſcit amor, ſolvi legibus ille nequit.
Hac ego, ſi neſcis, thalamos mihi dote paciſcor.
  Hoc primo ſponſam ſanguine ſollicito;
Teque tuumque genus manſura in fœdera poſco.
  O utinam votis conſequar iſta meis!
Tunc, precor, actutum veniat maturior ætas;
  Et multo turgens ſanguine vena fluat:
Ut modò quot guttas, tot poſteà ſanguinis imbres
  Effundam, totis undique viſceribus.
Talia flammato dum ſecum pectore volvit,
  Membra fluunt guttis candida purpureis.
Parſque cruentatæ ſacro de corpore carnis,
  Auratis ſtillans excipitur pateris.
Dulces exuviæ! pretioſaque pignora Amoris!
  Felices illis auſpiciis thalami!
Et dubitamus adhuc divinis ignibus uri?
  Atque emptas tanto, jungere velle manus?

ELEG. IX. *Amor, Jeſus nominatus.*

SAnguinis ah! ſatis eſt. Debetur amabile nomen.
Quid dubitas fungi munere, Myſta, tuo?
Non opus expectes, dum cæli nuntius illud
Deſcriptum rutilis portet ab axe notis:
Ipſe ſuum ſignis melioribus exhibet Infans,
Et lacero pictum corpore nomen habet.
Pro minio ſanguis membris inſcripſit Ieſum;
Et ſervatorem vulnera facta probant.
O decus! ô noſtræ, Nomen, ſpes una ſalutis!
Quanta latent paucis hîc bona litterulis!
Aſpera vox Puero, ſed Nomen amabile nobis,
Nomen deliciis dulcius omnigenis;
Dulcius Ambroſiæ ſuccis, & lacte recenti,
Cum primùm preſſis effluit uberibus:
Dulcius Hyblæis quod ſtipavere caniſtris,
Cum veniunt primi tempora veris, apes:
Dulcius Alcinoi pomis, uvâque falernâ,
Cum fluit impoſitis diſſiliens pedibus:
Dulcius Auſoniâ, dum pendet in arbore, olivâ,
Et ſtillat ruptis turgida corticibus:
Dulcius Indorum calamis, & quidquid opimis
Fortunatus Arabs carpit ab arboribus:
Denique dulce magis quam quidquid dulce vocatur:
Nomen ad hoc unum cætera deſipiunt.
Non ita delectant æſtivis ſolibus umbræ,
Antraque frigidulis pervia flaminibus;
Non ita brumali recreat ſubſidere flammâ,
Cum focus impoſitis perſtrepit ilicibus.

Grata

Digitized by Google

Grata quies laſſis, jactatis æquore, portus,
Viſaque poſt longam patria cara moram.
Dulcius, & gratum ſuper omnia nomen, Ieſus;
Si modò non duris inſonet auriculis.
Vox brevis! at vocis non menſurabile pondus:
Commoda tot nobis quinque ferunt apices.
Quam nequeunt herbæ, doctique Machaonis artes,
Unica vox medicam ſuppeditabit opem.
Illius auxilio, fractis ad ſaxa carinis,
Tutus erit lacerâ naufragus in tabulâ.
Inſiliant hoſtes, ferroque ignique laceſſant;
Hoc clypeo quævis irrita tela cadent.
Præcipuè ſtygiæ metuunt hæc nomina turmæ,
Et conjuratis Tartarus agminibus:
Seu moveat rhombos, ignotaque carmina jactans,
Lecta ferat totâ gramma Theſſaliâ:
Seu mentem ingreſſus, nocturnis terreat umbris,
Seu ſtruat ambiguo callidus ore dolos.
Unius effatu vocis vis corruet omnis,
Motaque nequidquam turpiter arma cadent.
Tum verò tenebris veniet lux alma fugatis,
Pectora divinis ſollicitans radiis:
Sanctàque conſurgent incendia; nomine, Amorem
Ut noris flammas poſſe ciere, ſuo.
Hæc ego ſcripta geram cupido ſignacula corde;
Scripta geram linguâ, ſcripta geram manibus.
Hæc animus ſecum verſando, totus in ignes
Ibit; ut accenſas dum movet aura faces.
Quidquid aget pergetq; manus, ſub nomine tanto,
Materiem flammæ ſuggeret uſque novæ.

Digitized by Google

Lingua, manũ mentemq;ſequens, incendia prodet,
Scintillaſque ſonans ſparget ubique ſacras.
Sic ſonet ô! tectumq; animo cum nomine amorem,
Semper flammeolis efferat eloquiis:
Nil animus, nil ora ferant, niſi nomen Ieſu:
Hic ſim facundus, cætera mutus ero.
Tunc etiam, cum lingua ſtupens, hærenſq; palato,
Vix benè ſupremos reddet anhela ſonos;
Ultima vox, ſonus extremus, ſit nomen Ieſu:
Nomine in hoc vivam, nomine in hoc moriar.

ELEG. X. *Amor à Regibus adoratus.*

IGnea res Amor eſt: fruſtra latet ignis, Amorque:
Proditur indicio lucis uterque ſuæ.
En Puer obſcuri latitat ſub culmine tecti,
Vix benè vicinis cognitus agricolis.
Et tamen è tenebris lux aurea proſilit iſtis,
Auctoremque notat non procul eſſe ſuum.
Hæc etiam terris latè diffuſa Sabæis,
Inſuetis ſtimulis neſcia corda movet.
Nam quamvis cælo fulget ſpectabilis illo,
Nuntia Divini ſtella puerperii;
Plus tamen occulto lux altera commovet igni,
Quam, non conſpicuo ſidere, mittit Amor.
Hâc, puto, præcipuè ſuccenſi pectora Reges,
Ecce recens nati Numinis antra petunt.
Nec mora, nec requies, dum fontem luminis ipſum
Admotis liceat cernere luminibus.
Sic ubi deprênſus ſerâ ſub nocte viator,
Huc illuc dubiis devius errat agris;

Lumine

Lumine conſpecto gaudet, radiumque ſecutus,
Feſtinat flammâ proximiore frui.
Quis tibi tunc ſenſus, Virgo, cum viſa repentè
Fulget in exigua gloria tanta domo?
Aſpice, verticibus ſolvunt diademata Reges,
Sceptraque ſubjecto depoſuere ſolo.
Exutique aurum, præſepia tangere gaudent,
Et dare vicinis oſcula ſtraminibus.
Cætera proſtrati ſacrum venerantur Amorem,
Concipiuntque preces, & pia vota ferunt.
Nam quamvis Puer eſt, vilique recumbit in antro,
Plus tamen hîc, quam quod cernitur, eſſe putant.
Sæpè amor invitat circumdare brachia collo,
Aut ſaltem teneras tangere poſſe manus:
Sæpè ſed occulti reverentia Numinis arcet,
Nec ſinit affectum longius ire pudor.
Tum verò auratis portantur dona caniſtris,
Quidquid Orontæi fluminis ora tenet.
Dant Homini Myrrham; dant Auri pondera Regi;
Panchæi colitur Thuris honore Deus.
Qui ſupereſt animus, tenero donatur Amori:
Gratius hoc omni munere munus erat.
Sic juvat, ô Reges, totos effundere cenſus,
Seque ſuis pariter jungere muneribus.
Credite: jacturâ nihil eſt opulentius illâ:
Exiguo multum ſic emitur pretio.
Prodiga res amor eſt, & vinci neſcia dando;
Accipit, acceptis ut bona plura ferat.
Et, puto, ſenſerunt jam nunc cœleſtia dona,
Munificâ retulit quæ Puer ille manu.

Ecce

Digitized by Google

Ecce, Deo pleni,& flammâ meliore calentes,
Diverſâ repetunt regia tecta viâ.
Abſiſtunt ſcintillæ oculis, viſque addita menti
Proditur, & claris ſurgit in ora notis.
Ite, ſacros ignes Arabum diffundite terris,
Eoïſque novum ferte jubar populis.
Vos Deus ante alios, ſcelerum caligine pulsâ,
Participes voluit luminis eſſe ſui;
Primitiaſque dedit populi, cœtuſque fidelis,
Quem miſerans duris præferet Iſacidis.
O quantum, auſpiciis â talibus, incrementum
Accipiet ſanctæ Relligionis amor!
Auguror: hæc lætâ propagine didita flamma
Ibit ad Eoos, ibit ad Heſperios.
Veraque lux, geminum latè diffuſa per orbem,
Fulgebit radiis tempus in omne novis.

ELEG. XI. *Amor inter ulnas Simeonis.*

VOta valent: optata diu datur ora tueri,
Et gremio tantum poſſe tenere Deum.
Fortunate ſenex, cujus comprenditur ulnis,
Quem Polus amplexu non capit ipſe ſuo.
Cernis? ut arridens limis blanditur ocellis,
Et tendit teneras ad tua colla manus?
Quodque levi motu formoſi, ſuſpicor, oris,
En etiam gaudens, oſcula poſcit Amor.
Forſan & ætatis, niſi vocem lingua negaret,
Nomine te patrem diceret ille ſuum;
Multaque de flammis, quas ſpargere venit in orbem,
Deque ſuo narrans proderet imperio.

Sed

Digitized by Google

Sed,quamvis nil ora ferant, ſat cætera amanti,
Suſpicor, haud ullis eſſe diſerta ſonis.
Ah! quot in hoc vultu Senior miracula ſpectas,
Quæ longæva nequit te docuiſſe dies!
Ah! quantum, veterum recolens præſagia Vatum,
In parvo cernis corpore, prodigium?
Brachia jam tremulâ tollens exilia dextrâ;
En, inquit, validas, artificeſque manus,
Quæ terram & cæli tractus,& quidquid ubique eſt,
Fingentes, digitis compoſuere ſuis.
Jam caput ad frontem flectens, oculoſque nitentes;
Hic igitur fons eſt luminis omnis, ait.
Accipit hinc Phœbus radios, hinc aurea fulgent
Sidera; vos ipſi, cernitis hinc, oculi:
Tuque ſagax animus, quo nil oculatius uſquam,
Hinc etiam tantæ lucis acumen habes.
Tunc ora aſpiciens, mutis infantia labris,
Miratur, tantum voce carere Deum:
Illum, qui Patris non enarrabile Verbum
Fertur, & æterno præditus eloquio,
Edita per ſacros tot poſt oracula Vates,
Nunc etiam mundo plura daturus adeſt.
Denique, candidulum jungens ad pectora pectus,
Quoque licet, nexu mollia corda premens;
Hîccine, ſubjungit, fornax latet ignea Amoris,
Unde ſuas flammas concipit omnis amans?
Certè ego non ſolitas jam ſentio corde favillas,
Et Dominum, plus quam poſſe putabar, amo.
Frigida quantumvis ſtupeant effætaque membra,
Neſcio quis ſubitò ſurgit in oſſa vigor.

Penè

Digitized by Google

Penè putem primo revireſcere flore juventam,
Aridus ut verno ſole novatur ager.
Sed neque fert animus vires reparare ſenectæ,
Longius ut nobis vita caduca fluat.
Ah! ſatis eſt ſpectare ſemel promiſſa tot annis
Munera, & in manibus Numen habere meis.
Hanc modò canitiem læti concedimus umbris:
Nil ultrà tellus, quo teneamur, habet.
Vidimus Iſacidûm columen; Dominumque Deumq;
Contigit admotâ tangere poſſe manu.
Vidimus expoſitum, viſoque exarſimus igni,
Qui faciet pulsâ nocte redire diem.
Cultoreſque ſuos radiis melioribus afflans,
Unus ubique ſacro thure coletur Amor.
Hactenus: at ſeri narrabunt plura nepotes,
Dum teget exuvias mollis arena meas.
Talia cygnæâ moriturus voce locutus,
Ultima divinis oſcula dat labiis;
Illacrymanſque iterùm, vultuque tenaciter hærens,
Reſtituit Matri pignora cara ſuæ.
Ex illo mortem votis ardentibus optat,
Fitque gravis viſo lux peritura Deo.
Fortunate ſenex, qui Numine plenus & annis,
Deſpicis ingratum deſtituiſque ſolum.
Quæ modò fatidicâ de lumine mente videbas,
Fac in me pariter pondus habere ſuum.
Hei mihi! cur toties obſcura per æquora vecti,
Non obſervatos frangimur ad ſcopulos?
Cur toties errante gradu per devia rapti,
Præcipites cæci volvimur in ſalebras?

Cur

Digitized by Google

Cur malè decepti ventos captamus & umbras?
Cur pro ſinceris nomen inane bonis?
Hæc Pharos errantem per ſaxa recondita puppim
Dirigat, & tutum per mare ſignet iter.
Hæc mihi lux tenebris ſit prævia ſemper eunti,
Et retegat poſitos hoſte latente dolos.
Quid precor? orta ſemel non defectura refulgent
Lumina, ſol radios non tegit ille ſuos.
Fortiùs ô igitur, lux formoſiſſima, fulge;
Fortiùs immiſſo corda calore crema:
Ut tandem victus repetito ſæpiùs ictu,
Aſpiciam Dominum ſemper, amemque meum.

ELEG. XII. *Amor fugitivus.*

HEu! fuge, Nate Deo; cæco ruit impete miles,
Teque per æquales quærit ubique tuos.
Aſpice, lactentes raptantur ab ubere nati,
Et majora ferunt vulnera corporibus.
Exiliunt matres, plus quàm muliebriter auſæ,
Obviaque in ſtrictos pectora dant gladios.
Hæc ferro incurſat furioſa, ictumque paratum
Feminea pugnat continuiſſe manu.
Hæc mediam ſeſe vibratæ interjicit haſtæ,
Lætaque natorum vulnera mater habet.
Altera declinans telum, petit unguibus hoſtem,
Et fixis oculos perforat articulis.
Illa cruentatis venientem morſibus arcet,
Et notat injectas turpiter ore manus.
Sepè furens genitrix hinc conſtitit, inde ſatelles,
Pugnaque de pueri corpore magna ſubit.

Dumque

Dumque trahunt ambo, certi non cedere, partem
Ex æquo miles, mœſtaque mater habet.
Eſt quoque, quam ſupra vires rapit impetus iræ,
Et memorem ſexûs non ſinit eſſe dolor:
Extorquensque viro ferrum, dextrâque coruſcans,
Pro nato pugnat Pentheſilæa ſuo.
Aſt aliæ lacrymis, verbiſque precantibus inſtant:
Quid meruit fraudis neſcia progenies?
En tibi materno detracta monilia collo;
Hæc cape pro caris munera pignoribus.
Aut ſi tantus amor perfundere ſanguine cunas,
Telaque lacteolis condere viſceribus;
Unam de geminâ ſaltem mihi prole relinque:
Altera ab alterius funere ſoſpes eat.
Sed fruſtrà lacrymæ, fruſtra ſuſpiria Matrum;
Plus animos duri Principis ira movet.
Cæduntur teneri nullo diſcrimine fœtus,
Et tegitur parvis terra cadaveribus.
Sæpè tamen, cum fortè puer ſua brachia tendit,
Inque viro patrem credit adeſſe ſuum;
Flectitur invitus miles, ſævitque coactus,
Perſtringens minimis pectora vulneribus.
Parce, precor, lacerare genas mœſtiſſima turba:
Non totam ſobolem barbarus enſis habet.
Vivit adhuc, ferroque manet pars una ſuperſtes,
Et choreas campis ducit in Elyſiis.
Ludite, felices animæ, terriſque quietis,
Innocuis tempus fallite deliciis.
Vos velut hiberno decuſſos turbine flores
Suſtulit auratis Divus Amor calathis;

Aſſervatque ſibi, dum nexas inde coronas
 Induat, & ſecum victor ad aſtra ferat.
Intereà veſtræ ſervatus munere vitæ,
 Longiùs hoſtiles effugit ipſe minas.
Quid trepidas Virgo? quid pallida ſæpè reſiſtis?
 Quid toties dubios ferſque referſque pedes?
Pone metum: fugit ille tuis ſecurus in ulnis,
 Et ridet poſitas conſcius inſidias.
Ipſe necis, vitæque ſuæ fugit arbiter: ipſe
 Funeribus ſtatuit tempora certa ſuis.
Nil aget iratus, cum non volet ipſe, tyrannus;
 Non, ſi orbis vires jungat uterque ſuas.
Cum volet, exactis quondam juvenilibus annis,
 Sponte ſuâ vitæ vincula rumpet Amor.
Dum loquor, Iſacidûm terras feſtina relinquit,
 Nec procul à Nili flumine Mater abeſt.
Hîc primùm umbroſis ſe credere vallibus auſa
 Conſidet, & gremio nobile ponit onus.
Utque poteſt, violis, campique fragrantibus herbis,
 Laſſa fovet Nati membra tenella ſui.
Felix hoſpitibus tellus Memphitica tantis!
 Jam laudare tuas deſine Pyramidas;
Jam Pharias jactare faces; luculentior ignis
 Hic Puer eſt, & res prodigioſa magis.
Scilicet hic ille eſt, tua qui miracula fecit,
 Jamque in te faciet, ſi ſinis ipſa, novum.
Nec moror auguriis: jam nunc immania monſtra
 Cernis, ut extinctis conticuere focis?
Nil Apis, nil vocis habet latrator Anubis,
 Nil cornuta refert Iſidis effigies.

Ter

Digitized by Google

Ter ſonuit ſiſtro, ter magnâ voce ſacerdos;
Nec redeunt adytis murmura nota ſuis.
Stulte, quid incaſſum non reſponſura fatigas
Marmora? quid ſurdis occinis illa Diis?
Huc aras converte tuas, hîc tympana pulſa,
Hîc adole flammis munera thuricremis.
Hic Puer in dubiis Oracula certa loquetur,
Nec renuet promptam ferre rogatus opem.
Solibus æſtivis ſi gramina Phœbus aduſſit,
Terraque ſtat nullis pervia vomeribus;
Non opus exundans ſuperato margine Nilus,
Irriget effuſis arida prata vadis.
Hujus ad imperium ſine flumine ſurget ariſta;
Herbaque non riguo luxuriabit agro.
Vos modò, ruricolæ, non duro admittite vultu;
Inque caſas læti ducite ſtramineas.
Credite: non magno gaudet novus incola tecto,
Sed cum ruricolis vivere ſimplicibus.
Non refugit tenues, convivia ruſtica, menſas;
Non cyathos, cultu paupere fagineos.
Lac Puero ſatis eſt, & torto caſeus orbe,
Lectaque curvatis poma ſub arboribus.
Si favus accedat, direpto cortice, mellis,
Ovaque de nidis rapta recens calidis;
Tum verò exultans epulas celebrabit opimas,
Feſtaque deliciis lux erit illa ſuis.
O! ego ſi Lycidas aliquis, vel pauper Amyntas
Illo vixiſſem ruſticus in populo!
Primus in occurſum veniſſem lætus Amori,
Pinguia confertis dona ferens calathis.

Me

Me duce certatim vicinia tota ruiſſet,
Obvia præſenti turba futura Deo.
Munera, dixiſſem, totus ferat optima pagus;
Crimen erit vacuas hîc habuiſſe manus.
Sit quoque, qui tenui carmen modulatus avenâ,
Temperet ad voces ſibila nota ſuas;
Æternumque genus, rurſum de Virgine natum,
Inſolitis doceat ſaxa ſonare modis.
Cætera donabit bona mens, diveſque voluntas;
Et melior quovis munere gratus amor.
Sic, reor, hoſpitio quantumvis paupere gaudens,
Vivet amor, noſtris non abiturus agris.

ELEG. XIII. *Amor amiſſus.*

VIx benè formoſæ ſublatus ab ubere Matris,
Reptabat patrias Penniger ante fores:
Nam fruſtrà, modicis & adhuc creſcentibus alis,
Niſus erat parvum tollere corpus humo.
Intereà validum cudebat vitricus arcum,
Telaque flammivomis aurea cuſpidibus.
Hinc aberat Mater cœptas viſura ſagittas,
Hærebatque oris Cypria Lemniacis:
At puer Idalius, lætus genitrice remotâ,
Excurrens Paphiis ardet abire jugis;
Ignaruſque viæ, ſilvas ingreſſus opacas,
Errabat cæcis devius ilicibus.
Jamque redux Mater pictâ per cœrula conchâ
Portabat pharetrâ condita tela novâ;
Contigeratque domum: ſed fruſtrà ſæpè vocâtum
Infelix natum ſenſit abeſſe ſuum.

Tum verò, inſanis implens clamoribus ædes,
Ora notat digitis pallida ſanguineis.
Bis arcum fractura fuit, rutilaſque ſagittas;
Sed tantùm teneræ non valuere manus.
Ergo abit, & notos rapitur furibunda per agros,
Ut perhibent ſpaſſis Mænadas ire comis;
Amiſſumque vocans repetito nomine Amorem,
Ejulat, ut catulis orba leæna ſuis.
Jam timet, infeſtis ne fortè occurrerit urſis:
Jam leo, jam terret dente cruentus aper.
Omnia ſollicitam faciunt: ruit omnibus oris
Excutiens ſilvas, excutiens nemora.
Non ſic orba Ceres Siculâ regione cucurrit,
Cum doluit raptâ ſaucia Perſephone.
Non toties, dum luxit Hylan Tyrinthius Heros,
Helles pontiacos mœſtus obivit agros.
Quid queror, & veterum recolo mendacia vatum,
Quæ non ulla tulit, nec feret ulla dies?
Verus Amor quando, divâ Genitrice relictâ,
Fertur Idumæo perditus eſſe ſolo.
Ah quantò magis indoluit triſtiſſima Matrum,
Ut lateri prolem vidit abeſſe ſuam!
Reſtitit ut Pario formatum marmore ſignum;
Et, niſi quod totis artubus intremuit,
Fixa ſolo remanet; mentemque per omnia verſans,
Tantiſper variis errat imaginibus.
Mox tamen effuſo ſolvuntur lumina fletu,
Fractaque anhelantes vox cadit in gemitus.
Percutienſque manu pectus, ſimul ora notaret
Unguibus: at virtus longius ire vetat.

Protinus

Digitized by Google

Protinus exiliens cognatûm deſerit agmen,
Et relegit, per quam venerat antè, viam.
Obſervatque ſequens veſtigia, ſicubi parvos
Exhibet impreſſos mollis arena pedes.
Ah quoties notis in callibus occurſantes
Detinet, injectis Virgo dolens manibus!
Ecquid aberrantem, clamat, vidiſtis Amorem?
Purpureâ Puer eſt candidus in tunicâ;
Aurea cæſaries illi, facieſque decora;
Mellea vox; geminum lumina ſidus habent.
Quòque magis certis poſſis cognoſcere ſignis,
Aſpectu flammas excitat ille ſuo.
Nunc etiam ſilvas, vicinaque culmina luſtrans,
Suſtinet ignotas Mater inire vias.
Vos, precor, intonſi ſaltus colleſque virentes,
Si quis ſit placidis ſenſus in arboribus,
Dicite, num veſtris tegitur Puer aureus umbris?
Num quâ fortè ſedet devius in latebrâ?
Ibo per horrentes nullâ formidine dumos,
Atque cruentatis eripiam manibus.
Tum, quaſi jam propior & inobſervatus adeſſet,
Excutit hirſutos ſanguinolenta rubos;
Abſentemque ſuo compellans nomine Ieſum,
Maternis Puerum provocat illecebris.
Ille nihil: tantum reſponſat flebilis Echo,
Et reſonant ſacris marmora nominibus.
Inſtat amans clamore Parens; reſponſaque captans,
Anxia ſuſpenſas admovet auriculas.
Et quoties blandis aſſibilat aura ſuſurris,
Aut gemitum motæ fortè dedere trabes;

Accurrit; Natumque ſequi ſibi viſa loquentem,
  Nequidquam vano luditur augurio.
Credula, quid Puerum deſertis quæris in oris?
  Hunc aliò ſummi curà Parentis agit.
Jam revoca greſſum, Solymæaque templa reviſens,
  Amiſſum in patriâ quærere diſce domo.
Illic, ſi neſcis, cathedrâ ſublimis in altâ,
  Divino populum detinet ore Puer:
Quotque ſedens ſacro fundit de pectore voces,
  Tot Deus accenſis corda cremat facibus.
Et tibi, ſi quis amas, & ademptum quæris Amorem,
  Aut nuſquam, aut illic inveniendus erit.
Non fora, non plateæ, non celſa palatia Regum,
  Amiſſum poterunt reſtituiſſe Deum.
Vivit Amor ſacris in ſedibus, incolit aras;
  Illic ſi quæras, ſe tibi reddet Amor.

ELEG. XIV. *Amor inventus.*

TErtia lux abiit, ſpatium prope longius anno,
  Cum doluit Natum Mater abeſſe ſuum;
Et nondum vultus potuit ſpectare cupitos?
  Nondum aliquo, poſt tot nubila, ſole frui?
Siccine amas, divine Puer, ludiſque Parentem,
  Quæ ſine te vitam non trahet ægra diu?
Non toties via trita movet? non humida fletu
  Compita? non læſos ſæpè tuliſſe pedes?
Non vigiles noctes longis duxiſſe querelis?
  Non dapibus totos abſtinuiſſe dies?
Nil macies, nil pallor habet, quod tangere poſſit?
  Nil, qui vix ſupereſt, halitus in labiis?

Jam,

Jam, puto, deficiet; jam ſpiritus ibit in auras:
Ne, precor, hunc titulum, tu quoque, Matris habe.
Scis, Amor, humanos ex quâ tibi ſumpſeris artus,
Scis, quoties illo ſederis in gremio.
Divinoque petens maternas ore papillas,
Virgineis inhians hæſeris uberibus.
Adde fugam luctumque, tui, Dulciſſime, cauſâ,
Cum jugulum peteret Barbarus iſte tuum.
Adde novas curas, cum rapto morte Tyranno,
Duceret ad patrios pignora cara lares.
Ecquid inauditæ Puerum flexere querelæ,
Seque Deus ſpatio ſignat abeſſe brevi?
Advolat occultâ correpta cupidine Mater,
Et celeri curſu proxima templa petit.
Dumque ſubit, parteſque aciem convertit in omnes,
In medio Nati conſpicit ora ſui.
Ergo ades, exclamat, nec me diſtantia fallit,
O Puer! ô animæ reddita vita meæ!
Plura fuit dictura: ſed inſatiata videndo,
Hæret hians, oculos nec movet inde ſuos.
Nempe magis jam forma placet, flavique capilli;
Collaque Riphæâ candidiora nive;
Eloquiumque potens, & blandæ gratia linguæ,
Dulcius & gyro liberiore ſonat.
Sic poſtquam piceæ texerunt æthera nubes,
Et multâ præceps decidit imber aquâ;
Pulchrior erumpit Phæbus, tenebriſque fugatis,
Gratius aurato promicat axe jubar.
Tum vero irrumpens, ipſa ad ſubſellia virgo,
Oſcula formoſis dat properata genis.

Injicienſque manus humeris, mirantibus inquit;
Hic meus eſt: jus hîc non niſi Mater habet.
Hunc ego jam curâ poſthac majore tenebo,
Ne malè ſervatus me quoque fallat Amor.
Quo ſe cumque feret, ſemper comes addar eunti;
Utque animo, ſic & corpore juncta ferar.
Finierat; templumque Parens, urbemque relinquit,
Lætaque cum Puero tecta paterna petit.
Ille volens ſequitur, dextræque tenaciter hærens,
Blanditur Matri voce manuque ſuæ.
Nunc quoq; ludit Amor, nunc paſſibus errat iiſdem,
Alternaſque Puer verſat in orbe vices:
Interdum vultu præſens arridet amico,
Nec renuit lateri proximus eſſe tuo.
Tangere poſſe putes, tanta eſt vicinia amantûm;
Oſculaque admotis carpere poſſe labris.
Sæpè iterum fugitivus abit, vel abire videtur,
Conſuetis ſpolians pectora deliciis.
Quid, miſer, exclamas, & cælum queſtibus imples?
Quid gemis amiſſum nocte dieque Deum?
Crede mihi, tecum eſt, & pectore vivit in iſto,
Integra dum mens eſt, & grave crimen abeſt.
Sed ſolet ad tempus vultum ſubducere, ut abſens
Fortius accendat, exſtimuletque Puer.
Ni faciat, longo forſan vileſcat ab uſu,
Et ſemper præſens parcius urat Amor.
Quidquid abeſt, cupimus magis; ipſaq; cura tenendi
Excitat, & pretium rebus ineſſe facit.
Hinc velut amiſſus jacturâ torquet amantem,
Materiem flammæ ſuppeditatque novæ.

Tu

Digitized by Google

Tu modò ſubductum votis revocare memento,
Et Puerum cunctis quærere tramitibus.
Principio tamen ipſe tuos circumſpice mores,
Num quæ fortè latent crimina perfidiæ.
Si calor intepuit; ſi mens pertæſa prioris
Langueat, & Dominum cœpit habere novum.
Hæc tibi cauſa mali, nullâ reparabilis arte,
Ante peregrino quam vacet igne locus.
Hunc lacrymis extingue tuis: ſic hoſte repulſo,
Ad ſua divinus regna redibit Amor.
Donaque, quæ rapuit, referet placabile Numen;
Forſan & antiquas accumulabit opes.
At ſi nequitiæ mens eſt obnoxia nulli,
Nec tamen aſſuetis ignibus oſſa calent;
Non ideò fugiſſe puta. Latet ignis in illo
Frigore, ſed flammas continet ipſe ſuas:
Tu tantum ſuccende tuas, tu fortiter arde:
Neſcit Amor magnâ delituiſſe morâ.
Flamma trahit flammas, & amor revocatur amore:
Ut velit, haud poterit diſſimulare diu.
Protinus inductas removebit corde tenebras;
Et reteget vultus, qui latuere, ſuos:
Blanditiaſque ſacras, & gaudia nota reducens,
Se tibi cum magno fœnore reddet Amor.

ELEG. XV. *Amor ſocialis.*

INtrat Amor ſilvas, & collibus errat opacis.
Huc, age, cum citharâ, tu quoque, Muſa, veni.
Nunc, ego crediderim, veniant ad aratra leones,
Et juga fulmineus ſponte ſubibit aper.

Digitized by Google

Nunc lupus inter oves prato paſcetur eodem,
Et lepori vulpes agmine junctus erit.
Omnia miteſcunt iſtis animalia flaminis,
Docta ſuam poſthac ponere ſævitiam.
Cernis? ut & faciem mutavit inhoſpita tellus,
Et ſpeciem campi fertilioris habet?
Quo malè conſtiterant hirſuto vertice ſpinæ,
Luxuriat verſo meſſis opima ſolo.
Quamlibet auſteri miteſcunt arbore fœtus,
Pomaque curvatus non ſua ramus alit.
Quòque Puer graditur, centum ſine nomine flores
Fundit odorato terra beata ſinu.
Fundat, & indigetem dum ſilva tenebit Amorem,
Elyſium referat fertilitate nemus.
Sed quo te merito decus hoc retuliſſe putabo?
Quid fuit in ſilvâ quo raperetur Amor?
Sunt latebræ, ſubit antra tibi, loca tuta querelis,
Quas tepido læſus pectore fundit amans.
Non tamen illa dolens hoc tempore poſtulat Infans:
Deinde querelarum forſitan uſus erit.
Gratius eſt aliquid, veſtriſque reconditur umbris,
Quod modò divinus quærit, amatque Puer.
Zacharides petitur, Puer alter, Amorque ſecundus
Poſcitur: hoc uno nomine ſilva placet.
Scilicet eſt ſocialis Amor, nec quem ſibi jungat
Vivit Idumæis dignior alter agris.
Nec mora: vicinis ardoribus excitus Infans,
Aſpicis, ut celeres huc movet ipſe pedes?
Et jam fortè cavis de vallibus aſcendentes,
Idem ambos molli vertice collis habet.

Par

Digitized by Google

Par ætas, frontiſque decor, flavique capilli,
Flammaque ſuccenſis mutua pectoribus.
Et, niſi quod cultu differt puer unus agreſti,
Inter ſe ſimiles, alter & alter Amor.
Dicite io! ſilvæ, quibus hinc amplexibus atq; hinc
Innexi ſteterint brachia brachiolis.
Quot data certatim ferventibus oſcula labris,
Et quoties preſſis inſonuere genis.
Non ita Tyndaridæ, quoties pia fata vocabant,
Oſcula de media corripuere via.
Non ita Phocæus complexu ſtrinxit Oreſtem,
Cum rediit ſacris, Taurica terra, tuis.
Inde fides coiit firmataque fœdera dextris,
Et non dividui jura ſodalitii.
Ah quoties junctos Oriens ſpectavit, & idem
Repperit occiduis Phæbus anhelus equis!
Seu libet arboreâ frigus captare ſub umbrâ,
Herba fatigatos accipit una duos.
Seu gravis invitat pomorum pondere ramus,
Quæ capit hic avidâ, carpit & ille manu.
Seu juvat arentes undâ reſtinguere fauces,
Una ſitim puris fontibus unda levat.
Sæpè, ubi fert animus puerili ſcribere falce
Mutua ſignatis nomina corticibus,
Inde Dei ſoboles, hinc conſtitit ortus Eliſâ,
Unaque fert memores fagus utrimque notas.
Sæpe juvat cantare pares, & reddere carmen,
Non procul à ſonitu prætereuntis aquæ.
Hic vocem ad numeros deducto gutture flectit;
Conſonat argutis alter arundinibus.

Ambo

Ambo Dei laudes celebrant, & tradita cœlo
Munera per terras, munera per maria.
Sic memorant quondam primos vixiſſe parentes,
Candida cum tellus, & ſine labe fuit.
Plaudebant choreas, aut carmina læta canebant,
Proſtrati teneris corpora graminibus:
Aut modo defixi ſurgentis imagine mundi,
Auctori grates perſolvere Deo.
Talis Idumæis rediit concordia ſilvis,
Jam pridem noſtrum linquere juſſa ſolum.
Priſca fides illic, & aperto pectore candor,
Et pudor, & veræ fœdus amicitiæ.
Quid mihi vobiſcum eſt, fumoſa palatia Regum?
Ah valeant urbes! ah valeant populi!
Me capiant ſilvæ, miſtuſque ſodalibus illis
Tertius accedam, permaneamque comes.
Non aurum, non inde meos revocabit amores
Quidquid alit venis India gemmiferis:
Sed vivam, moriarque libens hos inter amantes,
Et ſemper ſocius de tribus unus ero.

ELEG. XVI. *Amor operans.*

FErvet opus, lætuſque Puer fabrilia tractat:
Ferreus eſt quem nunc altera cura tenet.
Aſpice, ſuccinxit ſummas ad pectora veſtes,
Pendula vicinâ de trabe tela ſonant.
Jam gracilis ſumptâ tenuatur linea normâ;
Jam coit obliquâ circulus in tabulâ.
Et modò vel lineam, vel ſerram ducere gaudet;
Nunc gerit exiguâ grandia ligna manu:

Nec

Digitized by Google

Nec metuit collum teneris obducere palmis;
Nec vitium læſis, ſi venit, articulis.
Inſtat amans operi, quamvis de corpore ſudor
Liquitur, & molles erubuere genæ.
Parce, Puer: majora tuis cur viribus audes?
Aptior eſt annis nuxve, trochuſve tuis.
Aptius eſt lino ſalientem ducere piſcem;
Aut jaculo volucrem, præmia parva, ſequi:
Aut modò diſtantem curſu contingere metam,
Aut procul oblatam reddere poſſe pilam.
Malleus & forceps, & acuto dente dolabra,
Detineant fortes iſta metalla viros.
At puero vacuos decurrere molliter annos
Convenit, aut totos luſibus ire dies.
Hei! rerum ignari, qui natum ad lenta putamus
Otia, cujus opus terra poluſque fuit.
Diſcite, mortales, quid Amor, quâ vivat ab arte,
Unde Puer flammas nutriat ille ſuas.
Pabula ſi demas, paulatim deficit ignis:
Adjice, flamma ſuo ſubſilit è cinere.
Sic quoque divus Amor, vel vivere debet agendo,
Vel ſenſim vacuis emoritur manibus.
Cura vigil, ſudorque, & anheli ſpiritus oris,
Crede mihi, flammæ ſunt alimenta novæ.
Hinc, quamvis Puer eſt, & primis debilis annis,
Lætatur teneras attenuare manus.
Hinc dolat incumbens, hinc cædit fiſſile lignum,
Hinc tabulis aptat congrua tigna ſuis.
Nec labor hic ſtabit: ſeries immenſa ſequetur,
Plus aliquid ſemper Lucifer alter aget.

Nec

Digitized by Google

Nec prius abſiſtet quam duros vita labores
Finiat, inque operâ concidat ipſe ſuâ.
I nunc, quiſquis amas, & inertia ducere pergis
Otia, nil præter nomen amantis habes.
Fruſtrà verba ſonant, magnum teſtantia amorem,
Quæ rapiunt celeres per vada ſalſa Noti.
Fruſtrà pacta fides, conjunctaque dextera dextræ,
Et malè jurato Numine relligio.
Verba dat omnis amor, qui non exercet amorem,
Nec ſpecimen factis exhibet aſſiduis.
Verba manus ſolers, operique intenta ſequatur.
Aut hoc, aut nullo pignore ſtabit Amor.

ELEG. XVII. *Amor creſcens.*

QUis fuit ille, prior puerum qui pinxit Amorem,
Et tribuit tanto corpora parva Deo?
Omnia cum vincat, cur non robuſtior ætas
Fingitur, & rebus congrua forma ſuis?
Aut cum nil cælo, terrâque antiquius illo eſt,
Cur non & frontem ruga ſenilis arat?
Sic ego; ſic longo quondam tenuatus amore,
Experto retulit conſcius ore ſenex.
Creſcere debet Amor, creſcens hinc pingitur ætas
Mollior, & ſemper viribus aucta novis.
Non ita conveniunt aliæ: ſtat namque virilis:
Altera curvato fit brevior capite.
Hinc quoque divus Amor creſcentibus utitur annis,
Ingenio forma conveniente ſuo.
Nec tantum formæ, quantum virtutibus addit,
Corporis accreſcens ingeniique bonis.

Si

Si lubet artifices opere exercere lacertos,
Heſterno præſens plenius exit opus.
Si ſacra doctrinæ repetit monimenta vetuſtæ,
Quotidie verbis gratia major adeſt.
Seu placidos mores & candida pectora cernis,
Plus animus ſemper, quo rapiatur, habet.
Sic roſa Tænariis ſurgens feliciter hortis,
Paulatim dotes pandit aperta ſuas:
Creſcit odor, fronditque decor, recluſaque ſenſim
Purpura, ſplendidior, ſplendidiorque rubet.
Tu quoq;, quiſquis amas, vel creſcere ſemper amando
Cogeris, aut certè non adamare diu.
Aut redit, aut properat, hâc qui verſatur arenâ.
Neſcit Amor certis ſiſtere limitibus.
Præruptum molitur iter: vel ſemper eundum
Altiùs, aut nimio pondere pulſus abit.
Nititur adverſo fluvio, revolutaque pinus
Abripitur, ſi non progrediatur, aquis.
Vidi ego qui campi in medio, bacchantibus Euris,
Crediderat certum figere poſſe gradum:
At fruſtrà obnixus, veſtigia flectere retrò
Debuit, & verſâ rurſus abire viâ.
Et ſuus eſt fluctus, ſuus eſt quoque ventus Amori;
Ni ſemper pergas, ſæpè repulſus eas.
Stare loco neſcis: vel enim plus ſemper amandum,
Vel minùs: in medio libera nulla mora eſt.
Nec quia jam flammis forſan majoribus ardes,
Sufficiet ſummis ſtare cacuminibus.
Semper Amor puer eſt: nunquã non creſcere gaudet,
Atque aliquid flammis addere præteritis.

Quò

Digitized by Google

Quò magis accendis, magis hoc accendier optat.
Creſcere dum ceſſat, deficit omnis Amor.

Eleg. XVIII. *Amor obediens.*

QUis, niſi facta forent, fieri potuiſſe putaret?
En Deus humanis ſubditur imperiis;
Oblitusque ſui, geminum qui temperat orbem,
Virginis unius pendet ab ore Puer.
Tantum opus eſt nutu, jam provolat ocyor Euro;
Nunc iterum Matris conſtitit ante pedes,
Obſervatque tremens oculos: & vertice nudo,
Ad quæcumque volet juſſa, paratus adeſt.
Sit licet abjectum, nil muneris ille recuſat,
Seque miniſteriis omnibus aptat Amor.
Sternere jam menſam, jam pocula ponere gaudet,
Jam manibus puras addere fontis aquas.
Nec pudor eſt levibus Cererem portare caniſtris,
Emptaque de medio poma referre foro.
Aut modò lignatum vicinis tendere ſilvis,
Impoſitoque gravem faſce redire domum.
Tum quoque cum facili commutat ſeria luſu,
Moribus humanis aſſimilatus Amor;
Non fora percurrit; non limine longius actum,
Abripit ad talos garrula turba ſuos;
Sed procul à ſtrepitu, pueris immiſtus honeſtis,
Temperat innocuos, matre jubente, jocos.
Abſtinet ad nutum: ſociis volat ecce relictis,
Sumptaque feſtinis nux cadit è manibus;
In foribuſque ſedet; fruſtrà riſere ſodales,
Et timidum, clamans, garrula turba vocat.

Sed

Digitized by Google

Sed neque, ſi vacuum culpâ monuere parentes,
Obſtrepit, aut turpes ducit in ore notas.
Sed vultum demiſſus adeſt, ſimiliſque nocenti,
Errati veniam ſuppliee voce rogat.
Sic age, ſic iterum te prodere pergis Amorem,
O Puer, ingenio nec minor eſſe tuo.
Quid deceat, non curat amans: non nomina tangunt,
Non movet antiquis Regibus orta domus.
Dummodò ſic placeat, jam fit de Principe ſervus,
Albaque gypſatis vincula fert pedibus;
Obſequiturq; lubens, nutumq; accinctus ad omnem
Gaudet amans dulci vivere poſſe jugo.
Sic quoque divus Amor, ſceptri gravitate relictâ,
Non negat humanâ conditione regi.
Neve Dei teneat reverentia, naſcitur Infans,
Naturæque Puer lege ſubeſſe cupit.
Et tu, terrigenæ faſtus imitate parentis,
Cui ſimiles ortus terra ſubacta dedit;
Tu, fugiens animo moderamina cuncta ſuperbo,
Ferre tuas leges, & dare jura voles?
Ah ſignum eſt, nullis præcordia fervere flammis:
Nullus adhuc iſto pectore regnat Amor.
Regnet: & incipiet durum molleſcere collum;
Quodque recuſarat, diſcet amare jugum.
Regnet: & elatâ qui ſidera fronte petebat,
Non renuet vernâ quolibet eſſe minor.

LIBER II

LIBER II.

Amor thaumaturgus, ſeu præcipua Chriſti Domini Miracula

ELEGIA ET MIRACULUM I.

CReſcit opus creſcente Deo: juvat ire per altum,
  Velaque deſertis pandere littoribus.
Tu terrâ pelagoque Potens, ne deſere Vatem;
  Dum levibus numeris, grandia facta canit.
Tu tua dicenti miracula ſuggere vires,
  Auſpice te felix ut liber alter eat.
Sic ego portentis fiam de pluribus unum,
  Quæque cano, factis vera probabo meis.
Veſper adeſt, cupido proceſſit nupta marito,
  Caſtaque legitimus vincula nectit Hymen.
Vivite, concordes animæ, firmataque dextris
  Fœdera, perpetuâ continuate fide.
Vos quoq; divus Amor, quantumvis virgine flammâ
  Gaudeat, in caſtris non negat eſſe ſuis.
Fœdera amat quæcumq; Deus, dum crimine nullo
  Jus & Amor puras compoſuere manus.
Hinc modò vobiſcum convivia læta frequentat,
  Cumque domo totâ, pronubus hoſpes adeſt.

Fallor

Fallor ? an & frontem jam lætior ipſe remittens,
Ingeminat plauſus, & bona vota facit ?
Forſan, & antiquo pateram de more coronans,
Feſtivâ ſponſum voce ſalutat Amor,
Nec vetat exemplum, convivas ire per omnes,
Inque vicem, ſumpto ſe recreare ſcypho.
Quid ceſſas ? Da vina puer: jam fortius adde;
Plenaque ſpumanti pocula trade mero.
Addis? An hic vacuis jam nunc ſtetit humor in urnis,
Nec ſuperant ſiccis Bacchica dona labris ?
Me miſerum! notat ora pudor, demiſſaque fronte
Lumina, defectum ſigna fatentis habent.
Pone metum, non illa probro vertetur egeſtas:
Hinc quoque conjugibus gloria major erit.
Omnia qui fecit, qui ſuccis imbuit uvas,
Et jubet humenti currere vina lacu;
Cur neque jam rebus varias inducere formas,
Inque merum puras vertere poſſit aquas?
Facta fidem faciunt: verbo Deus innuit uno,
Verſaque naturam perdidit unda ſuam.
Jamq; rubens color eſt, nec qualem flumina mittunt,
Spirat odoratis aura levis pateris.
Nec mora: ſupremis guſtantur pocula labris,
Unaque vox, vinum comprobat eſſe bonum.
Pars Chio certare refert; pars cedere jactat
Nata Corinthiacis Bacchica dona jugis.
Pergite, convivæ, calices ſiccare recentes,
Perque manus iterùm largior hauſtus eat.
Fidite, non liquor hic vertigine membra rotabit;
Non ſtupor hinc cerebro, non malus ardor erit.

Sed mens & ratio páteris acuetur ab illis,
Subjicietque ſacras flamma beata faces.
Nempe ſuis in muneribus guſtabitur ipſe,
Qui dedit; inque datis, res quoque dantis erit.
At vos præcipuè, donis gaudete receptis,
Quos medio felix Numine junxit amor.
Quę benè jam coëunt, dum vincula veſtra tenebunt,
Pergite præſentem ſemper habere Deum.
Conjugio vinum ſic numquam dêrit in illo;
Quodque labor fuerat, deſinet eſſe labor.
Sed neque, quos ævo junget pia tœda futuro,
Participes tanti non licet eſſe boni:
Vos quoq; Numen idem thalamis accerſite veſtris,
Sitque comes menſæ, qui comes antè fuit.
Rurſus Amor puro latices mutabit Iaccho,
Spumabuntque novis pocula deliciis.
Nempe graves illo miteſcent auſpice curæ,
Et leve conjugii ſarcina pondus erit.
Pax & Amor junctas firmabit ad ardua dextras,
Et quod non poſſunt corpora, corda ferent.

Elegia et Miraculum II.

Vina dedit genialis Amor, Cerealia reſtant
Munera, prodigio ſuppeditanda novo.
Vallis erat, modico conſurgens undique clivo,
In medio duri jugera multa ſoli.
Proptèr arenoſis deſcendens collibus humor,
Rivus oberrabat lenè fluentis aquæ.
Hîc Deus, ingenti populi cingente coronâ,
Formabat monitis mollia corda ſuis.

Jamque

Jamque dies, alterque dies & tertius ibat,
Nec tamen avelli turba ſecuta poteſt.
Detinet immemores facundæ gratia linguæ,
Junctaque cum verbis facta ſtupenda ſuis.
Intereà conſumpta Ceres, vacuiſque caniſtris
Deficiunt ægris pabula corporibus.
Jam macies, jam pallor habet, jam languida membra
Vix tenet, inſtabili femina virque gradu.
State tamen, nec adhuc animis fiducia cedat:
Corpora curabit, qui modò corda, Deus.
Nulla quidem ſterili naſcuntur pabula campo,
Pagus & hinc longè diſſitus omnis abeſt.
At ſupereſt, per quem gravidis ager albet ariſtis,
Quoque ſeges lætis redditur agricolis.
Hic modò dum comes eſt, nil cætera abeſſe nocebit,
Omnia fœcundo ſufficiente ſinu.
Seriùs auxilium ſi diſtulit, hac quoque parte
Profuit, injectâ conſuluitque morà.
Ut dum prodigio defectos paſceret artus,
Idem animis poſſet utilis eſſe cibus.
Sed mora longa ſatis. Medium jam tranſiit orbem
Cynthius, exortus debilitatque calor.
Non tulit ulterius, ſortiſque miſertus iniquæ,
Feſtinat miſeris ferre levamen Amor.
Fortè puer panes fiſcellâ quinque ferebat,
Inque manu piſces, unus & alter, erant.
His Deus inſtructus dapibus, diſcumbere turbas
Imperat, & viridi ponere membra ſolo.
Dumque tenens calathum populis convivia promit,
Et tenues frangens, dividit hoſpes opes:

Ecce, fide majus, manibus ſuccreſcere fruges,
Ut ſolet in pingui fertile ſemen humo.
Quotque abeunt dando, tot rurſum accedere partes,
Materiemque putes ſuppeditare novam.
Hoc quoque partiti redeunt cum fœnore piſces,
Semper idem dextrâ, datque tenetque, ſuâ.
Denique fœcundum non deſinit antè caniſtrum,
Nec cibus omniparis deficit in manibus;
Quam, quot erant panes, tot millia paſta virorum,
Expletâ, penitus ſunt recreata, fame.
Plura negat ſtomachus, fragmẽtaq; lecta per herbas
Ferre humeris bis ſex vix potuere viri.
O ego ſi poſſem, totis hæc didita terris
Carminibus Vates fragmina ferre meis!
Atque ita virtutis celebrans monimenta vetuſtæ,
Nunc quoque ſpem miſeris ſubdere pectoribus!
Credite, mortales, lapſis fiducia rebus
Pergit adhuc idem, qui fuit, eſſe Deus.
Seu ſupereffuſis meſſis putreſcit ab undis,
Seu Canis ardenti ſidere torret agros;
Seu mala rubigo ferrugine pingit ariſtas,
Inque leves ſtipulas frugifer annus abit;
Fidite, creſcit adhuc gremio nova meſſis in illo,
Et ſua Triptolemus ſemina ſemper habet.
Fidite, & auxilium votis orate ſecundis,
Panificas iterum porriget ipſe manus.
Præcipuè queis ſacra prius documenta ſecutis,
Corporis eſt tantùm cura ſecunda ſui.
Tunc quoque ſecuris, & non poſcentibus, ultrò
Providus occurret, auxiliator Amor.

ELEG.

Digitized by Google

ELEGIA ET MIRACULUM III.

AUra vocat; date vela viri, quid littora remo
Raditis, & modicis retia fertis aquis?
Dum licet, oblatis navim committite ventis,
Plenior eſt medio præda futura mari.
Si levis eſt, undiſque impar majoribus alnus;
Securum, puppi qui ſedet, eſſe facit.
Ille procelloſos frænabit carcere ventos,
Nec ſinet imperio longiùs ire ſuo.
Ille vacillantem firmabit in æquore cymbam,
Hærebitque ſuo juſſa carina loco.
Vos modò non timidi virtuti fidite tantæ,
Ne levior pinu mens labet ipſa ſuâ.
Audior; antennis religatur funis ab altis,
Linteaque obliquis intumuere Notis.
Littora deſeruit puppis, ventoque ferente
Provolat, ut validâ miſſa ſagitta manu.
Terra fugit, creſcitque ſalum, gravis undiq; pontus
Cernitur, & motâ grandior æſtus aquâ.
Retia mittuntur; ſed miſſa reverberat æquor,
Et labor in ventos irritus omnis abit.
Jamq;dolent,procul eſſe ſolum,veritique procellam,
Obliquâ pugnant poſſe redire viâ.
Sed vetat à terrâ ſpirans violentior aura,
Altiùs in pontum devehiturque ratis.
Interea rauco miſcetur murmure cælum,
Pallidus obductâ ſol fugit in nebulâ.
Inſurgunt venti, penniſque furentibus acti,
Attollunt fluctus, præcipiteſque ferunt.

Turbinis in morem nullâ firmata ſaburrâ
  Pellitur hinc illinc, disjiciturque ratis.
Fruſtra vela legunt, fruſtra dimittitur undis
  Anchora, jactatam quò libet æſtus agit.
Tranſilit, & medio curvamine ſæpè dehiſcens
  Perpluit, effuſis undique pontus aquis.
Diſcurrunt trepidi per tranſtra fluentia nautæ:
  Cor micat attonitis, oraque pallor habet.
Antlia contentis adducitur acta lacertis;
  Sed plus ingreditur, quam revomatur, aquæ.
Quid faciant? Nimio jam pondere cymba fatiſcit,
  Et tantùm tenui margine vincit aquas.
Una quidem miſeris, curvâ jacet anchora puppi,
  In placidum ſomnum membra ſolutus Amor.
Nemo tamen primus Domini turbare quietem
  Audet, & admotâ ſollicitare manu.
Tandem victa metu, retro reverentia ceſſit:
  Mergimur, exclamant, obruimurque mari.
Nate Deo, fer opem: viden? ut circumſtetit unda?
  Ni tuleris, jam jam piſcibus eſca ſumus.
Heu malè ſollicitæ tanto munimine mentes!
  An ſimilem vobis, creditis, eſſe Deum?
Ille quidem pelagi, tempeſtatiſque ſonoræ
  Securus, ſomno lumina victa dedit:
Sed vigil eſt animus, caſumque intentus in omnem,
  Divino fluctus temperat arbitrio.
Si velit, immiſſis gravior furit æſtus habenis:
  Si negat, in modicos cogitur ire ſinus.
Rem probat eventus: cur anxia turba timetis;
  Me quoque plus aliquid ne mare poſſit? ait.

Dixit,

Dixit; & aſſurgens, vultu bacchantibus Euris
 Innuit, adverſos increpuitque Notos.
Illi continuò demiſſis turpiter alis,
 Terga fugæ præbent, Æoliamque petunt.
Unda cadit refluens, puroque ſimillima vitro,
 Leniter illiſas ſibilat inter aquas.
Sol redit, & pulsâ retegens caligine cælum,
 Lumine reſtituit candidiore diem.
Facta ſtupent comites, placido natat æquore pinus,
 Et levis humentes impulit aura ſinus.
Tu quoque, cui ſimili forſan mens fluctuat æſtu,
 Hinc bona tutelæ concipe ſigna tuæ.
Sæpè tibi nativa lues, pravique cupido,
 In diverſa rapit pectora fluminibus:
Sæpè ferus Tiphon, ſtygiâ de ſede profectus,
 Fortiùs emotas ſuſcitat intus aquas.
Tertia de Mundi veniens contage procella,
 Non minus eſt furiis pernicioſa ſuis.
Tot ſimul abriperis ventis & fluctibus impar;
 Et, quâ non velles, cogeris ire viâ.
Aut ruis in ſyrtes, & ſaxa latentia radis,
 Aut prope confractam cingit arena ratem.
Aut modò ſublimis, nimio petis æthera faſtu;
 Aut modò deſperans, tartara nigra vides.
Pelle metus: pelago tecum jactatur eodem,
 Cui mare, cui venti, cui fera paret hiems.
Tu modò puppe ſedens, inſanos deſpice fluctus;
 Utque potes, curſum dirige nauta tuum.
Quantumcumque graves pergant ſævire procellæ,
 Hîc de Tyndaridis alter, & alter erit.

Si quoque ſopitus, ſomnum cepiſſe videtur,
Nec ſubitò partes auxiliantis agit;
Perfer & exſpecta, nil non patientia vincit,
Tempore diſcutiet nubila divus Amor.
Tempore diffugient venti; portumque tenebit
Puppe coronatâ cymba beata ſuum.

Elegia et Miraculum IV.

EN iterum validi bacchantur in æquore venti,
Et rapitur motis per mare lembus aquis.
Nox quoque terrorem trepidis vectoribus auget,
Lunaque rorantes humida merſit equos.
Non tamen has tenebras, quamvis formidine plenas,
Præcipui cauſam ſuſpicor eſſe metus:
Luminis alterius graviùs jactura remordet,
Quo ratis hoc ipſo gurgite tuta fuit.
Ah quoties partem miſeri vertuntur in omnem,
Abſentemque vocant anxia turba Deum!
Ah quoties memorant: Tabulâ requievit in illâ,
Cum timuit ſummos tingere lympha pedes!
Cum ſupereminuit curvato fornice fluctus,
Ne caderet fusâ defluus imber aquâ!
Hîc ſtetit, increpitans ventos, undaſque ſonantes;
Hîc placidum navi per mare ſtravit iter.
Cur iterum puppi recubans non dormit eâdem!
Jam quoque ſalva ſuo pondere cymba foret.
Nec timor, ut nuper, cœptos abrumpere ſomnos
Cogeret, audaces ſufficit eſſe ſemel.
Talia jactantes, & fletibus ora rigantes,
Audiit à terrâ commiſeratus Amor.

Ac-

Acceſſurus erat, nec dêrant littore puppes,
Longiùs adverſus ſed vetat ire Notus.
Ipſe igitur ſibi navis Amor, mirabile dictu,
Redditur, & pedibus cærula ſumma premit.
Quâ graditur, ſternuntur aquæ, ventique cadentes
Tantiſper furias depoſuere ſuas.
Circumſtant timidæ, latere ex utroque procellæ;
Ut cum cana gelu marmora ſtrinxit hiems.
Ipſe velut ſiccâ medius procedit arenâ,
Et ſtabilem figit per vada ſalſa gradum.
Ut propior factus, pars umbram nocte volantem
Autumat, & magnâ ſidera voce ferit.
Sed vox nota metum minuit: Confidite amici:
En ego ſum; miſeris auxiliumque fero.
Tum verò immoti, tamquam ſi ſomnia ſpectent,
Ancipites inter ſpemque metumque manent.
Unus, & hic audax; Si tu ſis, inquit, eodem
Fac pelago, ſiccos me quoque ferre pedes.
Sic ait, & ſummo ponens veſtigia ponto,
Inſuetum pedibus carpere tentat iter.
Inſultatque vadis gradiens, atque æquora calcans,
Lætatur Domino non minor eſſe ſuo.
Mox tamen, ut validos ſenſit crebreſcere ventos,
Et magnis iterum fluctibus ire fretum;
Reſtitit, haud ultra fidens; animoque cadente,
Sub pedibus pariter ſidere cœpit aqua.
Mergitur infelix, iterumque iterumque relapſus,
Incœptâ fruſtrà nititur ire viâ.
Tum Deus accedens, pallentem & multa precantē
Fluctibus eripuit, reſtituitque rati.

Dein

Dein etiam ſubiit, ventiſque faceſſere juſſis,
Placato pacem reddidit Oceano.
Dicite Io! comites, ventique mariſque potentem
Ad cælum lætis tollite carminibus.
Dicite, de centum quos finxit Græcia Divis,
Quis ſimilis noſtro fingitur eſſe Deo?
Non opus hunc pictâ ferri per cærula conchâ,
Aut modo frænato per mare piſce vehi.
Ipſa fluens fert unda Deum, tutamque miniſtrat
Tantiſper poſitâ mobilitate viam.
Cum lubet exortas pelago cohibere procellas,
Et portum quaſſis reddere navigiis;
Non opus eſt validum dextrâ vibrare tridentem,
Duraque nimboſis dicere verba Notis.
Unicus undarum furias compeſcit ocellus,
Unica vox totâ plus valet Æoliâ.
Sed manet imperium, nec virtus deficit illa,
Quiſquis es, hinc lapſis quærite rebus opem.
Sit modò magna fides, nil non præſtabis in illo
Nomine; nil pelago, quod verearis, erit.
Tunc quoque cum ſcopulis illiſa vorabitur alnus,
Nec reliquum lacerâ de rate fragmen erit;
Æquora firmabit Deus hic, in vota vocatus,
Tutaque per pontum ſemita rurſus erit.

Elegia et Miraculum V.

NUnc age, piſcandi ſi quis non noverit artem,
Me legat, & memori carmina mente notet.
Seu libet herboſæ reſidentem margine ripæ,
Mittere fallaces, ære latente, cibos:

Seu

Digitized by Google

Seu raris inſtare plagis, aut vimine texto
Expectare ſuæ præmia certa moræ:
Seu majora juvat compendia quærere ponto,
Et laqueis totos claudere penè ſinus:
Semper eris felix, hæc ſi præcepta ſequaris,
Prædaque debebit quolibet eſſe loco.
Nec moror ambiguis: exemplo diſcite ab uno,
Quid juvet, ut nullus ſit ſine piſce labor.
Manè erat, & ductis ad littora curva carinis,
Purgabat caſſes nautica turba ſuos.
Tota laborantes nox viderat æquore cymbas,
Jactaque diverſo retia ſæpe mari.
Nil tamen acceptum, conchilia præter & algam:
Dixiſſes, vacuum piſcibus eſſe ſalum.
Inde dolent; interque manus dum lina retractant,
Pars illis, pars & jurgia dicit aquis;
Pars etiam ventis convitia jactat obortis,
Et queritur tectum nube fuiſſe polum.
Parcius ô! nil aura, viri, nil unda meretur,
Retiaque officio functa fuere ſuo.
Defuit ars tantùm, jam piſcatoribus illam
Suggeret, hac etiam parte magiſter, Amor.
Ite, inquit, juvenes, religatas vertite proras,
Inque meo rurſum nomine ſurgat opus.
Hoc, reor, auſpicio, melior fortuna ſequetur;
Luxque dabit, quam nox longa negavit, opem.
Dum dubitant alii, de more audacior unus
Spem capit, & juſſas altiùs intrat aquas.
Laxatoſque ſinus, tanto ſub nomine, mittens;
En, ait, imperio retia jacta tuo.

Nec

Nec mora; diſtendunt ſinuoſa volumina piſces,
Cymbaque ſpumantes fluctuat inter aquas.
Advolat auxilio, velocibus altera remis,
Et valido jungit fixa rudente latus.
Sed ratis in captam vix ſufficit utraque prædam,
Tantùm non oneri ſuccubitura ſuo.
Diſcite mortales, ars hæc quoque tradita vobis;
Ut nullum fructu deſtituatur opus.
Vita quid eſt aliud, quam motum fluctibus æquor?
Undaque naufragiis ſæpè timenda ſuis?
Hic quoque nos fragili vectamur corporis alno,
Et jacimus cæcis retia noſtra vadis:
Inſtamuſque avidi, ſeu ſerior ingruat hora,
Seu ferat aurato Cynthius axe diem;
Nil tamen accipitur, niſi forſan inutilis alga.
Sæpiùs hæc magno parta labore venit.
Scilicet in causâ eſt, quia non bene novimus artem;
Aut illam ſi jam novimus, uſus abeſt.
Ah! juvat utiliùs vires conſumere noſtras,
Nec ſemper vacuâ nave redire domum.
Plus operæ non quærit Amor, ſolertia tantùm
Poſcitur, indoctas quæ regat arte manus.
Tu modò, quidquid agis, fac nomine ſemper in illo;
Unus & hic operum ſit tibi finis Amor.
Sic benè perpetuò piſcabere, & auſpice tanto
Exiguæ merces magna laboris erit.
Quot piſces alii, tot tu prædabere gemmas,
Non quales nigri Memnonis ora tulit;
Sed quæ ſupremo feliciùs æthere natæ,
Plus pretii, totus quam valet orbis, habent.

ELEG.

Elegia et Miraculum VI.

Mille Amor eſt operũ, medicâ quoq; clarus in arte,
Ægra Machaoniâ corpora curat ope.
Non tamen, aut ſuccis medicamina præbet amaris,
Aut ſolet intritis utilis eſſe comis.
Miſſa peregrinis non dantur pharmaca terris,
Non ſpecioſa ſuis toxica nominibus.
Abſtinet & ferro, quamvis pars læſa putreſcit,
Viſceraque occultâ ſerpit in ima lue:
Nec facit inciſas decurrere ſanguine venas,
Aut leviter punctis terga rubere notis.
Scilicet humanæ ſunt hæc inventa medelæ,
Ipſis interdum deteriora malis.
Una tot auxiliis vox prævalet, una medetur
Utilior miſeris, quâ libet arte, manus.
Ecce tremit, frigens concuſſo femina lecto,
Et tamen immodicus viſcera fervor habet:
At Deus arreptam, leviter conſurgere dextrâ
Imperat, adſtanti reſtituitque viro.
Alter, inutilibus reſoluto corpore membris,
Sicut erat, ſacros ponitur ante pedes;
Nec mora: curatus verbo non ampliùs uno,
Exilit, & ſtratum ſublevat ipſe ſuum.
Tertius, immundæ ſquallens aſpergine lepræ,
Spem capit, & ſimilem poſtulat æger opem;
Accipit; & turpes abeunt è corpore mendæ,
Ut levis ad lucem diffugit umbra novam.
Sed leviora cano: vos dicite cætera muti,
Vos quibus hic linguæ vincula rupit Amor.

Dicite,

Dicite; vobiſcum quot apertæ protinus aures,
Non priùs auditis obſtupuere ſonis?
Dicite: virtutem cæcus quoque ſenſit eandem;
Et vidit, quam non viderat antè, diem.
Dicite: quam multis non moverat aridus annis,
Continuò juſſam protulit ille manum.
Vidimus æquali veſtigia ponere greſſu,
Cui brevis, & multo pes minor alter erat.
Adde, quod hæc abſens etiam ſolatia præſtet:
Non opus eſt digitis tangere membra ſuis;
Adjuvat imperio, quantumvis inde remotos,
Atque animo miſeris officioſus adeſt.
Quis tamẽ enumeret, quæ non numerãda feruntur,
Munera Divinæ prodigioſa manus?
Antè recenſebis, quot cælo ſidera fulgent,
Quotque ſolo ſegetes fertilis annus habet;
Antè, quot Autumni depellunt frigora frondes,
Quotque nives campis nubila fundit Hiems;
Quam mala ſubducas, formamque genuſq; malorum
Quæ pepulit, vel quas pellere poſſit Amor.
Adjice ſanatas unà cum corpore mentes:
Ah reliquis melior veſtra medela fuit!
Cum malè vexatæ, gravioraque vulnera paſſæ,
Non minùs hâc ſubitò convaluiſtis ope.
O Amor! ô in me dextram quoque verte potentem!
Hâc etiam morbis parte medere meis.
Urimur interiùs, cæcoque abſumimur igni,
Quem Phlegethon flammis ſuſcitat uſque ſuis.
Jam ſitis urget opum, nec hiantia Lydius amnis,
Ora poteſt fulvis exſatiare vadis.

Jam

Jam facit alterius palleſcere livor in auro,
  Imaque mordaci viſcera mente premit:
Jam tumor inſano diſtendit pectora vento,
  Et caput excelſo vertitur uſque loco.
Sæpè tenax odium, viſo recaleſcit ab hoſte;
  Et ſtomachum bilis commovet atra meum.
Sæpè repens animo venit impetus, iraque mentem
  Eripit, & fari ſobria verba vetat.
Tot mala perpeſſo, nequidquam cultus Apollo,
  Quamvis & medicæ dicitur auctor opis.
Tu mihi pro Phæbo, tu majus Apolline Numen,
  Nunc adês, & mentis vulnera pelle meæ.
Sic ego jam cœptas pergam tibi dicere laudes,
  Et Dominum puro lætior ore canam.
Sic ego de ſacro ſuſpendam poſte tabellas,
  Subjiciens fulvis carmina bina notis:
Hæc tibi, Nate Deo, pro ſalvâ mente Poëta
  Dedicat, acceptis inferiora bonis.

ELEGIA ET MIRACULUM VII.

VOs quoque, quæ netis mortalia fata, Sorores,
  Numina non ullis concilianda focis:
Vos quoque mollitas, dextræ virtute potentis,
  Duritiem quondam depoſuiſſe ferunt;
Ruptaque quæ fuerant fatali pollice fila,
  Non ſemel in vacuâ reſtituiſſe colu.
Sed quid in hæc iterùm veterū commenta redimus,
  Rurſus & in verâ ludimus hiſtoriâ?
Credite, lanificæ non ſunt niſi nomina Parcæ,
  Nil colus, & digitis ſtamina ducta nigris.

Unus

Unus Amor, lucem qui contulit, eripit idem,
Arbitrio vitam datque negatque ſuo.
Tu mihi teſtis eris, tenui Bethania tractu,
Hoſpitio tanti nunc quoque clara Dei.
Hîc juvenem, primæ vernantem flore juventæ,
Straverat immiti mors properata manu;
Spem ſimul abſtulerat præclaræ ſtirpis in illo,
Et columen magnæ deliciumque domus.
Hinc dolor & planctus, viduas impleverat ædes,
Nec vacuus lacrymis angulus ullus erat.
Præcipuè turbata comas, ſoror altera luget;
Et tumulum, fuſis reppetit uda comis:
Nunc immota ſedens, oculos in marmore figit;
Nunc iterum, largâ defluit imber aquâ.
Nunc quaſi ſenſuros inclamat pallida manes,
Sæpius & fratris nomen in ore ſonat.
Ergo jaces, ſaxoque latens, germane, ſub illo,
Perpetuò nobis flebile funus eris?
At poteram tantos egomet prævertere luctus,
Cum primùm in tenero corpore languor erat.
Cur tam lenta fui? cur ſolis uſa miniſtris?
Cur ſubiit noſtras miſſa tabella vices?
Ipſa ego debueram, medicis diffiſa venenis,
Ad Dominum ſupplex protinùs ire meum.
Et ſcio, veniſſet; nihil eſt humanius illo,
Signaque amicitiæ jam mihi multa dedit.
Quamque tot ignotis voluit conferre ſalutem
Hoſpitis in morbo non renuiſſet Amor.
Tuque ſupervivens divino munere, frater,
Auxiſſes titulo facta ſtupenda novo.

At

Digitized by Google

At modò me tecum ſocordia perdidit illa,
Seraque poſt obitum noſtra querela venit.
Sic gemit ad tumulum, ſic in penetralibus altis
Plorat amans fratrem noĉte dieque ſuum;
Seque, moramque ſuam, verbis accuſat iniquis,
Ah nimis in luĉtum faĉta diſerta ſoror!
Falleris ô! nimiuſque dolor, tibi femina mentem
Eripit, & fari non ſatis apta jubet.
Conſilii majoris opus, quodcumque peraĉtum eſt;
Hinc tu lenta ſoror, lentus & ipſe fuit.
Noluit, ut potuit, vivo ſuccurrere fratri;
Nec, ſi veniſſet, fortè tuliſſet opem.
Scilicet, ut parvo poſt tempore plus dare poſſet,
Inque uno multis utilis eſſe viro.
Dic age, qui poterat te judice pellere morbum,
An non & vitam reddere poſſe putas?
Si Deus eſt quod amas, ſi non exhauſta poteſtas,
Cur malè diſcrimen inter utrumque facis?
Collige te, poſitoque metu ſpem concipe firmam;
Quæque priùs non es auſa rogare, feres.
Dum dubitat, varioque dolens errore vagatur;
Ecce repèns foribus, quem petit, hoſpes adeſt.
Perculit attonitam cari præſentia vultus;
Fitque rubens ſubitò, pallidus antè color.
Flet tamen occurrens, verbiſque querentibus uſa,
Commemorat fratris triſtia fata ſui.
Non tenuit lacrymas, qui pellere venerat illas:
Aggemit, atque ſuas irrigat imbre genas.
Triſtitiæ brevis hora fuit. Sat flevimus, inquit;
Tollite jam, demptâ, ſaxea clauſtra, ſerâ.

Si modò certa fides, quamvis jam ſolverit artus,
  Quæ fluit à poſito funere quarta dies;
Putrida cernetis, tumulo conſurgere membra,
  Inque ſuos luci reddita ſtare pedes.
Sic ait, & magnâ compellans voce jacentem,
  Evocat è tenebris corpus inane ſuis.
Ille, quis hoc credat? dicto velociùs ipſo
  Prodit, & in tumuli margine vivus adeſt.
Vinculaque exutus, quæ lurida membra tenebant,
  Provolat, & Domini volvitur ante pedes:
Agnoſcitque Deum, vitæque neciſque potentem
  Eloquio gaudet jam celebrare novo.
Vos quoque, qui coram miracula tanta videtis,
  Laudibus in cælum tollite Numen idem.
Ite, Palæſtinas Dominum celebrate per urbes,
  Factaque divinæ commemorate manus.
Dicite, promiſſum jam tot labentibus annis,
  Indutum noſtrâ vivere carne Deum:
Illius imperio, vobis ſpectantibus ipſis,
  De tumulo juvenem proſiliiſſe ſuo;
Illum, quem nuper Bethania tota cadentem
  Luxit, & elatum patria texit humus.
Quod ſi durities ſignis non flectitur ullis,
  Et tenebras demens gens amat illa ſuas;
Lumine nos illo victi, de Numine Numen
  Credimus, æterni progeniemque Patris;
Quæ noſtros etiam cum mors diſſolverit artus,
  Et cinis extremo tempore mundus erit;
Hujus ad exemplum, quotquot ſine luce jacebunt,
  Reſtituet vitæ lurida membra novæ.

Sors

Digitized by Google

Sors diverſa tamen: cœlo ducenda fideles
Vita manet; pænas impia turba dabit.

ELEGIA ET MIRACULUM VIII.

CUr miſer ille, labris ſpumantibus oblitus ora,
Volvitur immundâ pulverulentus humo?
Cur fremit horrendum, furibundaq; lumina torquens
Ringitur, & morſu proxima ſaxa petit?
Cur modò conſurgens medios raptatur in ignes?
Aut modò flumineis præcipitatur aquis?
Mitiùs Iſmarios perhibent ululaſſe per agros,
Quas Bromius thyrſo perculit ipſe ſuo;
Mitiùs abreptum furiis Agamemnone natum,
Cum male per crimen criminis ultor erat.
Ah non humani ſpecies eſt illa furoris:
Sedibus è ſtygiis impetus ille venit.
Nil miſer hic per ſe potuit: ſed ſpiritus ater
Membra tenet, miris exagitatque modis.
Non juvat helleborum; non vincula dura coërcent;
Excutit objectas fortior ille moras;
Allidenſque ſolo, jam corpora vertit in orbem,
Jam facit extremos terga ferire pedes.
Sed neque ſacra cohors, pellendis inclyta morbis,
Profuit; impoſitæ nil valuere manus.
Incaſſum cecidere minæ, repetitaque verba
Grandia, virtutem non habuere ſuam.
Ergo iterum tu, rebus Amor ſolamen acerbis
Poſceris; eſt operis illa medela tui.
Ecce Deo propiore tremens percellitur umbra,
Irritaque obſeſſo corpore tela movet.

Æſtuat; & variâ populum ſub imagine terrens,
Terribiles juſſo fingit in ore ſonos.
Mox tamen ira cadit, verboque potente coacta
Reppetit infernos non reditura lacus.
Tum Deus exanimi ſimilem, fuſumque per herbas
Elevat incumbens, reſtituitque virum.
Ille malo liber ſe turbæ innoxius infert,
Et placidus læto cum patre tecta ſubit.
Sic & pulſa priùs, ſic poſtea cedere juſſa,
Ultorem ſenſit non ſemel umbra Deum.
Sed quota venturæ pars hæc victoria palmæ,
Quam domitâ referet de ſtyge victor Amor?
Tempus erit, cum tota domus pallentis Averni
Nutabit, motis territa cardinibus.
Portarumque moras & ahenea clauſtra, dolebit
Victorem contra nil valuiſſe Deum.
Tunc Amor irrumpens, puras ſine crimine mentes
Eripiet tenebris, compedibuſque ſuis.
At reliquum vulgus, cæloque rebellia monſtra
Perpetuis vinclis, carceribuſque premet.
O benè! ſi vinctos iterùm non ſolvimus ipſi,
Et jam concluſum non reſeramus iter.
Hoc quoque ne fiat, tua ſit, Fortiſſime, cura.
Hæc etiam circum tempora laurus eat.

ELEGIA ET MIRACULUM IX.

NUnc, Elegi, pennis mecum majoribus ite,
Sublimemque ſacris ſiſtite culminibus;
Hîc ubi, mutatâ tantiſper imagine, Numen
Clara dedit generis ſigna videnda ſui.

Tunc

Digitized by Google

Tunc ego divino ſtupefactum lumine ſolem,
  Crediderim, verſis terga dediſſe rotis:
Aut medio ſaltem caligans palluit orbe,
  Ut fax à magno vincitur igne, minor.
Scilicet in vultu nova lux effulſerat illo,
  Cui ſimilem nunquam Lucifer antè tulit.
Aſpicis? ut circum radiorum funditur ordo,
  Et facit exortam clariùs ire diem?
Hinc color in tunicâ; qualem ſpectantibus offert,
  Cum nix adverſis ſolibus emicuit.
Candorem mons ipſe trahit; vicinaque monti,
  Inſuetâ radians luce, niteſcit humus.
Eminet in medio, jam notâ major imago,
  Et plus quam noſtro lumine fulget Amor.
Hinc illinc gemini, tanquam duo ſidera, Vates,
  Neſcio quid motis inſonuere labris.
Alter adhuc priſci ſervans veſtigia facti,
  Lucida rugoſâ cornua fronte gerit:
Alter inardeſcens, zeloque accenſus honeſti,
  Spirat adhuc flammas, & ſua tela jacit.
O quot prodigio miracula dantur in uno!
  Naturam dicas cuncta novare ſuam.
Ille datus tumulo, jam tot labentibus annis,
  Ecce ſuo rurſus corpore vivus adeſt.
Hic procul Elyſiâ jam pridem valle receptus,
  Ante diem ſuperas debet adire domos.
Ipſe, mei ſimilem retinens in corpore formam,
  Divinâ ſubitò luce coruſcat Amor.
Quis tua, Ioniade, putet hîc temeraria vota?
  Quis neget orantem mente fuiſſe bonâ?

Quæ modò nos animo, tu coram lumine ſpectans,
Tres hîc ardebas ædificare domos;
Atque ita de Domini nunquam diſcedere vultu,
Hoc illi junctus tempus in omne jugo.
Certè ego non aliud, ſplendore illectus eodem,
Optaſſem meritis obtinuiſſe meis.
Tunc neque me cælum formâ revocaſſet ab illâ,
Nec picturatis ſplendida terra bonis:
Sed tecum intentis hæſiſſem fixus ocellis,
Ut ſtupet in ſponſo ſponſa novella ſuo.
Stulte, quid hæc votis æquo levioribus optas?
Cur non tam felix, quam potes, eſſe cupis?
Ipſe quidem ſpecie, viſâ non antè, refulſit;
Sed quota promiſſi pars erat illa boni?
Non niſi de pleno ſcintillam protulit igni,
Unaque de magnâ gutta cucurrit aquâ.
Luce ſub hâc latuit, quod non eſt cernere lumen,
Dum tellus oculos faſcinat iſta tuos.
Poſtmodò, fluxarum cum liber imagine rerum,
Spiritus, exuto corpore, ſumma petet;
Tunc oculis hæc ſcena novis ſpectanda patebit,
Seque ſuis, dempto tegmine, pandet Amor.
Illic perpetuas ſpera tibi figere ſedes,
Illic conſpicuum ſemper habere Deum.
Antè tamen quàm luce frui conceditur illâ,
Arduus hic etiam mons ſuperandus erit.
Scilicet in duris quærenda eſt gloria rebus,
Non niſi prærupto repperienda jugo.

ELEGIA

Digitized by Google

Elegia et Miraculum X.

FAllor? an hæc ipſa eſt, quæ conſita margine villæ,
Vernabat patulis Ficus opaca comis?
Cur modò nuda ſtetit? cur frondibus orba repentè,
Ut, quam prima ſuo frigore læſit hiems?
An calor in causâ eſt? an fortè malignior aura
Depluit in teneras fœda venena comas?
Haud equidem credo: nam ſors hæc omnibus eſſet,
Et vitium toto conſpiceretur agro.
Una quid intactis ſpoliata ſororibus adſtat,
Solaque conſueto frondis honore caret?
Quin etiam graviora tulit: rubigine cortex
Spargitur, & toto corpore ſuccus abeſt.
Aruit infelix, quanta eſt; & inutilis arbor
Materies ſolis ignibus apta manet.
Jam ſcio quid nocuit: ſteriles ſine fructibus umbras
Deſpicit, èque ſuo rure relegat Amor.
Hîc Deus eſuriens, ligno quæſiverat illo
Sedatura ſuam mitia poma famem:
Excutienſque manu ſilvam, cum fructus abeſſet,
Et quateret ſolas mobilis aura comas;
Reppulit indignam; diraſque minaciter addens,
Devovit vacuam tempus in omne trabem.
Illa tremens, toliiſque cadentibus exareſcens,
Ultima, diſlecto ſtipite, ſigna dedit.
Vos quoque, qui facti teſtes aderatis, eodem
Suſpicor, attonitos contremuiſſe metu.
Nam rationis egens, orbataque ſenſibus arbor,
Quid potuit culpâ demeruiſſe ſuâ?

Fortè ſoli vitium, vel inertis cura coloni
  Cauſa fuit, nullas cur dare poſſet opes.
Aut qui fixus humo, truncum ſuccrevit in illum
  Surculus, è ſterili matre reſectus erat.
Hinc timor exortus, ne vos hæc pœna notaret;
  Et plus, quam faceret, ſignificaret Amor.
Sic, reor, hæc vobis; ſic nobis aruit arbor:
  Caſus & hic, omnes unde monemur, habet.
Nos Deus ille ſuo pariter plantavit in horto
  Ruſticus, ut ficus excoluitque ſuas.
Ipſe leves ramos admotâ falce totondit,
  Et ſepem circum mollia ligna dedit.
Ipſe bonos frutices ſectis inoleſcere libris
  Fecit, & in fœtus creſcere poſſe novos.
Pinguia propterea defodit ſtercora ſubtèr,
  Et ſiccam ducto flumine ſparſit humum.
Tot Deus officiis exacto poſtulat anno,
  Debita culturæ poma venire ſuæ.
Nos tamen in ſteriles forſan ſuccreſcimus umbras,
  Virtutem in ſolas exerimusque comas.
Scilicet in voces, promiſſaque grandia abimus,
  Effectu numquam verba ſequente ſuo.
Aut operum ſi quando aliquid, rerumque feramus;
  Ante diem ramis deflua poma cadunt.
Nam modò vel turpes ſinimus ſubrepere vermes,
  Nataque corroſis perdere viſceribus:
Vel propè maturos exorta moleſtia fructus
  Decutit, ut validis acta procella Notis.
Hinc foliis tantùm crepitantibus uſque ſonamus;
  Nec damus, unde famem pellere poſſit Amor.

Hei

Digitized by Google

Hei mihi! præteritas miſeri obliviſcimur iras,
Nec ſatis exemplo facta priora movent.
Eſurit impatiens iterum, ſperataque dudum
Poma ſuis cultor quærit in arboribus.
Ni ferimus, maledicta parat, ſucciſaque ferro
Mittet in æternos arida ligna focos.
Jamque manu quaſſans fors admovet ipſe ſecurim,
Radicemque acie luminibuſque notat.
O Amor, ô Divûm mitiſſime, tempore parvo,
Quo malè conſtiteram, me ſine ſtare loco.
Sæpè quod una negat, ſolet altera tradere meſſis,
Et reparat damnum fertilitate ſuum.
Tu modò culturam non dedignare recentem
Addere: continuò fertilis arbor ero.
Quot ſteterant frondes, tot erunt pendentia ramis
Munera; tot fructus mens operoſa dabit.
Annua nec tantùm reddentur vota colono:
Sæpè volo donis frugifer eſſe novis.
Seu gravis obſtet hyems, ſeu mitior adjuvet aura,
Semper erunt opibus brachia plena ſuis.
Sic, precor, eveniat; curvataque pondere ficus,
Emerito tandem vertice, ſerta feram;
Mutatoque ſolo melioribus inferar hortis,
Ver ubi perpetuo munere mulcet humum.

ELEGIA ET MIRACULUM XI.

NUnc mihi divinis tu pocula fontibus affer,
Teque tuo vates, fac Amor, ore canam.
Tu mihi, prodigium dum non effabile narro,
Altiùs humano da quoque more loqui;

Utque

Digitized by Google

Utque tuas vires illic ſuperaſſe videris,
  Sic numeros vincam non minus ipſe meos.
Annua ſacra vocant, ſolennes ponite menſas,
  Fercula convivis inferet hoſpes Amor.
Sit modò pura Ceres, ſint puri dona Lyæi,
  Toſtaque votivis hoſtia párva focis.
Cætera deliciis menſæ ceſſura ſecundæ
  Ipſe dabit, tanto munera digna Deo.
Non tamen aut volucres apponet Phaſide miſſos,
  Aut procul Hyblæis mella petita jugis;
Non muræna graves onerabit lactea lances,
  Non collecta recèns oſtrea litoribus;
Non Phariæ telluris opes, vel ſi quid Idume
  Omniparo fundit dulcius è gremio.
Lautius his aliquid præbebit amantibus hoſpes,
  Quod, Luculle, tuæ non habuere dapes.
Carius aurifluis dapibus, gemmiſque ſolutis,
  Suavius Ambroſiis Nectareiſque cibis.
Sed priùs humanos moneo deponere ſenſus,
  Nec nimiùm carnis fidere luminibus.
Cæca fides epulis accumbere debet in illis,
  Et pietas guſtum deliciaſque dabit.
Dum loquor, Heſperio diſceſſit Phœbus Olympo,
  Venit & ad cœnam turba vocata ſuam.
Prima fames dapibus ritûs expletur aviti:
  Cernis? ut accelerant præcipitantque moras?
Cauſa ſubeſt ritu: ſiccis per cærula plantis
  Traductos populos, impetus ille notat.
Tum Deus auferri menſæ fragmenta prioris
  Imperat, & blandâ talia voce refert.

Sat

Digitized by Google

Sat Legi Moyſique datum: ceſſate figuræ,
 Reſque ſuo veniat ſubſtituenda typo.
Cernitis Iſacidæ? Cererem manus una tenebat:
 Jam corpus Ceres hæc incipit eſſe meum.
Ne dubita, dilecta cohors, nil ampliùs illic
 Frugis ineſt, tantùm forma ſaporque manent.
Ipſe ego me manibus teneo; convivaque veſter,
 Eſca ſimul fieri prodigioſa volo.
Sumite, & acceptam cupidis retinete medullis,
 Dum ſenſim vires exerat illa ſuas.
Certè ego, quod toſtæ faciunt in corpore fruges,
 Non minùs in vobis, ut cibus alter, agam.
Hinc animos ſenſim nova vis tranſibit in altos;
 Sentiet & noſtram debile corpus opem.
Hinc, ne deficiat vitæ melioris origo,
 Semina virtutum nobiliora fluent.
Denique transfuſis hinc dotibus, unus utriſque
 Spiritus, unus erit nec periturus Amor.
Dixit, & inſuetum vultu confeſſus Amorem,
 Dividit in partes, diſtribuitque dapes.
Integer accipitur, quamvis ſub imagine fractâ;
 Nec plus hic illo, nec minus alter habet.
Dein Calicem ſumens; Jam Corpore pavimus, inquit;
 Pocula nunc etiam non leviora feram.
Sanguinis hic noſtri, non Bacchi, munus habetis;
 Accepto potus convenit ille cibo.
Nauſea ne veniat, ſpeciem guſtumque reliqui;
 Sed res quæ ſuperat, deſiit eſſe merum.
Quidquid ineſt venis, paterâ quoque ſpumât in iſtâ:
 Sumite, & hîc iterum vos ſatiate Deo.

Sed

Digitized by Google

Sed nondum ſatis eſt: memores advertite mentes;
Omnibus apponi, potus & eſca, volo.
Veſtiũ erit, & qui vos poſt tempora ſera ſequentur,
Hanc populo menſam ſæpe parare meo:
Nam totidem noſtro prolatis nomine verbis,
Ipſe ego de cælo pondus adeſſe dabo.
Rurſus & in veros panis mutabitur artus;
Quique meri fuerat, ſanguinis humor erit.
Nec grave continget, toties deſcendere Olympo,
Aut mea diverſis ponere membra locis;
Si modò non duro, cum venero, pectore condar,
Surgat & è noſtro mutuus igne calor.
Tunc ego non ſolo conjunctus corpore, mentes
Amplexu refovens interiore premam;
Illapſuſque meo tantum de Numine tradam,
Quantum ſors hominis conditioque feret.
Dixerat, illi avidis apponunt pocula labris,
Paſcunturque Deo, dictaque mente notant.
Inde pares Epulæ noſtris celebrantur in aris,
Inque cibum nobis ſe quoque ponit Amor.
Et nondum immiſſos tu pectore concipis ignes?
Nondum nix animi funditur illa tui?
Ah non in dapibus, ſtomacho ſed crimen in illo eſt;
Non capit aggeſtum plenior ille cibum.
Sordibus oppletus, ſacram non digerit eſcam;
Tranſit, & effectum non habet illa ſuum.
Egere congeſtum non uno crimine cœnum,
Purgatâque novam concipe mente famem.
Proderit eſuries: & qui non antè juvabat,
Utilis incipiet jam magis eſſe cibus;

Digeſtuſque

Digitized by Google

Digeſtuſque ſuas per hiantia viſcera flammas
  Fundet, inexpertas ſubjicietque faces.
Hei mihi! majores quod non ſint carmine vires!
  Deſtituor medias Tantalus inter aquas.
Et juvat, & cupio non commemorata referre,
  Semper at in clivo noſter anhelat equus.
Deficit ingenium; devictaque pondere rerum,
  Vix bene tentatum Muſa relinquit opus.
Scilicet hoc Amor eſt, hæc magna potentia Amoris,
  Plus dare, quam dictis enumerare, licet.
Nec moror ut liceat, ſat erit ſentire medullis
  Munera divinæ non referenda dapis.
Tu modò, nate Deo, quæ non eſt dicere verbis,
  Da capiam factis experiarque tuis.

LIBER III.

Amor patiens.

NUnc ades, incomptos Elegëia fuſa capillos,
  Et numeris apta barbita flebilibus.
Si dolor in lacrymas unquam te ſolvit amantis,
  Materies hoc in carmine major erit.
Hîc ego nota ſequens priſci veſtigia luctus,
  Spectabo madidis omnia luminibus.
Utque licet querulas jungens ad lumina voces,
  Plorabo Domini triſtia fata mei.

Tu,

Digitized by Google

Tu, quem ſuppliciis pietas ſubjecit acerbis,
Hac quoque ne vatem parte relinque tuum.
Iliademque tuam dum pagina tertia narrat,
Difficili mecum currere perge viâ.

ELEG. I. *Amor agonizans.*

GEthſemani colles, & amicæ collibus umbræ,
Antraque muſcoſis aſpera pumicibus;
Dicite (nam multis latebra opportuna fuiſtis,
Quos levis inſano perculit igne puer)
Dicite, ſi veſtris ſub frondibus ullus amator
Sic doluit, ſicut nunc Amor ipſe dolet.
Hei mihi! quam vario curarum fluctuat æſtu!
Anxia mens formas induit innumeras.
Jam ſtupet immotus; jam cælo brachia tendit;
Jam fremit indignans, & pede pulſat humum.
Sæpè reluctanti ſimilis, ſimiliſque neganti,
Neſcio quid triſti durius ore refert.
Nunc iterum flexus, lacrymis mutatur obortis.
Et ſpeciem vultu commiſerantis habet.
Sæpè, velut viſæ perculſus imagine formæ,
Reſtitit; & totis artubus intremuit.
Sanguis abit venis; & plus quam pallor, amantis
Lurida funereis inficit ora notis.
Vox quoque defecit cum ſanguine, inutile corpus
Labitur, & prono vertice plangit humum.
Talis in Heſperiis flos formoſiſſimus hortis,
Paulatim mediis defluit areolis:
Non illum riguo nutrivit Jupiter imbre,
Non matutinis ſparſit Eos lacrymis:

Sed

Digitized by Google

Sed radiis Titan ardentibus, & grave ſidus
Perculit arentes Sirius igne comas;
Donec conſumptis humoribus arida colla
Flexit, & exſucco procubuit capite.
Sic quoque divus Amor, non uno torridus igni,
Paulatim ſenſu deficiente cadit.
Fallor? an amiſſæ redeunt in corpora vires?
En rubor in vultu eſt, qui modò pallor erat:
Turgeſcunt iterum venæ, pulſoque timore
Priſtinus inceſſit frigida membra calor.
Pugna ferox oritur: timor hinc, amor indè, duellum
Integrat, & telis inſtat uterque ſuis.
Arma timor capit à pœnis, lethoque futuro,
Et diris animum terret imaginibus:
Sic rapient; ſic percutient; ſic terga notabunt;
Sic tenerum punget ſpina cruenta caput:
Sic adigent clavos; ſic ferro pectora rumpent;
Sic totum corpus nil niſi vulnus erit.
Contrà amor objectat ſummi mandata Parentis,
Servandoſque ſuo funere terrigenas;
Dilectum genus, & vitâ meliore beandum,
Poſt tam longa ſui tempora ſervitii.
Sic age, ſic pugna, ſic ô fortiſſime vince;
Sic miſeros duris eripe compedibus.
Cernis? ut incaluit nimio certaminis æſtu?
Pectoris ardorem non capit ipſe ſui.
Erumpitque foras ignis; ſtant lumina flammâ
Oraque hiant crebris anxia ſpiritibus.
Quin etiam toto prorumpens corpore ſudor
Liquitur, & calido perpluit imbre ſolum.

Hei

Hei mihi! quid video? croceum liquor ille colorem
Concipit, & guttis humida purpureis
Membra fluunt: rubuere ſinus, rubuere capilli,
Herbaque ſanguineo tincta liquore rubet.
O anima! ô tanto nimiùm dignata labore;
Aſpice, quo pro te pignore, certet Amor.
Ecce, fide majus, largus ſine vulnere ſanguis
Manat, & illæſis funditur arteriis.
Perque ſinus chlamydemque viam molitus in auras
Emicat, ut ruptis unda ſalit ſcatebris.
Quid refugis? Tu, dura, tuis hunc elicis imbrem
Criminibus; tu fons, principiumque mali es.
Tu facis, ut mores natura exoſa ſuperbos
Ingratum renuat morte piare genus.
Atque ita, dum nimio conatu obnixa repugnat,
Vix tandem tribuat ſanguinolenta manus.
Ille tamen ſuperat, primâque cruentus arenâ,
Gaudet Amor flammæ ſigna dediſſe ſuæ.
Vicimus, exclamat; quid tum, ſi ſanguine tincta
Hæc veniat noſtris laurea temporibus?
Sanguis adhuc ſupereſt, ſic vincere ſæpè juvabit,
Te quoque dum vinco, cui cruor ille fluit.
Dixit; & exiliens, alios circumſpicit hoſtes,
Sæpè ſuâ victor clade futurus Amor.

ELEG. II. *Amor proditus.*

QUo globus ille virûm tacitè feſtinat? & ecce,
Jam propior collem prævius unus habet.
Quid ferat in dubio eſt; hoſtem tempuſque locuſq;
Indicat, at cultu ſicut amicus adeſt.

Nam

Digitized by Google

Nam neque tela gerit, nec torvâ fronte minatur;
Nil duri totâ cernitur in facie.
Quin etiam verbis, ultrò compellat Amorem,
Et Dominum venerans nominat ille ſuum.
Expedit amplexus, colloque infuſus eburno,
Fallor? an & labris oſcula ferre parat?
Quidquid agit, ſuſpecta tamen facit omnia tempus,
Aptaque miſcendis ſerior hora dolis.
Certa loquor: ſtetit ecce minax poſt terga ſatelles:
Pars etiam manibus vincla parata tenet.
Heu! fuge, nate Deo, gremio latet anguis in illo:
Oſcula ſunt, queis te perfidus iſte petit;
Oſcula (quis credat?) ſinceræ pignora flammæ,
Hei mihi! nunc partes proditionis agunt:
Muneribuſque ſuis ne pœnæ dedecus abſit,
Traditur indignâ morte necandus Amor.
O facinus! fœdos per lactea colla lacertos
Implicat, & croceis æmula coraliis
Labra premit, roſeaſque genas, oculoſque nitentes
Conſpurcat turpi fœtidus illuvie;
Peſtiferamque vomens animam, tetramq; mephitim
Divinis inhians miſcet anhelitibus.
Quis ferat hoc crimen? quem non injuria tangat?
Ah pudor eſt, tantum velle videre probrum.
Huc animæ mecum, quas æmulus excitat ardor,
Et labem hanc iſtâ vellite de facie:
Oraque, ne poſſint tantum jactare furorem,
Protinùs infeſtâ dilacerate manu.
Vana precor; tenet ipſe ſuum, qui læditur, hoſtem,
Fortiùs adſtringens pectora pectoribus:

Digitized by Google

Et quaſi neſciret perjuræ crimina mentis,
Reddit Amor junctis oſcula preſſa labris.
Et nondùm furor hic tantâ pietate reſedit?
Nec tam vicino ſolvitur igne gelu?
Improbe, non ſentis vibratas pectore flammas?
Non qui de calido ſpiritus ore venit,
Inque jecur pectuſque tuum, per hiantia lapſus
Ora, ſalutiferis provocat illicibus?
Utere ſorte tuâ; necdùm ſpes omnis adempta eſt.
Ipſe, vides, revocat conciliator Amor;
Diſſimulatque nefas, & amici nomine honorat:
Tu modò fac, ut qui diceris, eſſe velis.
Ergo age, mutato ducens ſuſpiria corde,
Deteſtare tuæ crimina perfidiæ:
Rurſùs & amplexus, ſed jam ſine fraude, capeſſe,
Veraque ſinceris oſcula junge labris.
Heu duras hominum mentes! heu ſaxea corda!
Blanditias curat ſcilicet iſte lapis.
Reſtitit eventu lætus, ſignoque peracto;
Poſtulat infandæ præmia nequitiæ.
Accipiatque precor, ſed ſpe deluſus inani,
Pro nummis laqueum, munera digna, ferat.
Nos illo intereà liceat ſuccedere nexu;
Et vacuum, cupidâ mente, replere locum.
Hæc ego nexilibus ſerpam per colla lacertis,
Ut tener in ſociis pampinus arboribus.
Quáque homini fas eſt, ſacros contingere vultus,
Oſcula dem caſtis, accipiamque labris.
Hinc me nec Cereris revocet, nec cura Lyæi,
Nec feſſum, noctu præcipitante, ſopor.

Sed

Sed felix ſine fine fruar vitalibus auris,
Divinis ſugens languidus è labiis
Puram animam; donec penitùs tranſfuſa medullis
Hæreat; atque duos ſpiritus unus alat.
Tunc ego jurabo: Nil dulcius exſtat Amore,
Non quod Cecropiis naſcitur in foliis.
Non liquor Ambroſiæ, non puri Nectaris humor,
Non aliquid, ſi quid ſuavius orbis habet.
Immortalis ero, ſi ſemper fontibus illis,
Detur inexhauſto flumine poſſe frui.

ELEG. III. *Amor ligatus.*

QUid reperiſſe juvat, quid perfida ſigna dediſſe?
Nil facit invito viſque doluſque Deo.
Conſtitit en: verbiſque ſolo proſtrata duobus,
Capta jacet vinclis impia turba ſuis.
Ipſe tremens recubat ductor, pretiumque perîſſe
Criminis, eluſâ proditione, dolet.
Facta via eſt: quid, Amor, dubitas decedere arenâ?
Nox teget, & latebras proxima ſilva dabit.
Dum potes, evita; ſed non potes, optime rerum:
Quæ fugiunt alii, tu quoque vincla petis.
Sponte manus ſolvis jam te vincire paratas,
Vocis & indicio proderis ipſe tuæ.
Non tamen immites ferit hæc clementia mentes.
Mox, ubi procubuit, provolat agmen humo.
Impatienſque moræ viſum raptatur in hoſtem;
Pars etiam ſtricto cominus enſe ſtetit.
Mitiùs ô! furioſa cohors; quid abuteris armis?
Non hic latronis more ligandus adeſt.

Digitized by Google

Si neſcis, Amor eſt: non reſpuit ille catenas,
Aſſuetus vitam ducere ſervitio.
Vincula ne fugeret, volucres Deus exuit alas:
Ni faceret, nullo Marte tenendus erat.
Neve reluctari poſſet, procul eſſe ſagittas
Juſſit, & accenſas, altera tela, faces.
Nunc etiam geminas offert in vincula palmas,
Collaque ſubmittit funibus ipſe tuis.
Parce, precor, ferro; filo retinebitur uno,
Jam pridem noſtri vinctus amore Deus.
Nil ago: Divinos gens effera ſævit in artus.
Cernis? ut æratus pectora nodus habet?
Brachia correptis ſtringuntur candida palmis,
Lividuliſque cruor diffluit articulis.
O Amor, ô quæ te pietas ſuccumbere tandem
Compulit, immeritas implicuitque manus!
Non ita Manüides inſano percitus igni
In gremio caræ vincla tulit Dalilæ.
Vis tua major erat; flammâ tamen uſtus eâdem,
Non minùs, adſtricto corpore, vinctus ades.
Scilicet hoc noſtrum ſcelus eſt: hæc vincula nobis
Exuit, inque manus tranſtulit ipſe ſuas.
Et pergemus adhuc alios ſuperaddere nodos,
Atque novis funes texere flagitiis?
Ah! cur non potiùs ſubeant hæc membra catenæ?
Aptior eſt illis gemma nitens manibus.
Quæ malè commiſi, cur ſolvere debeat alter?
Cur pœnam noſtri criminis ille luat?
Induat hæc ferrum, quæ fecit crimina dextra;
Utque decet, vinclis alliger ipſe meis.

Quid

Digitized by Google

Quid, miſer, hæc iterum non proficientia jactas?
Quæ ſemel adſtrinxit, ſolvere neſcit Amor.
Hæc illi gemmis auroque monilia præſtant.
Forſan & hæc auctor tam pretioſa facit.
Dummodò tu liber, nihil eſt quod ferre recuſet.
Mors etiam, poſt hæc pondera, munus erit.
Tu quoque ſi duci cupias; ſunt altera Amori
Vincula, materiâ non metuenda ſuâ.
Ferrea, queis corpus premitur, ſibi deligit uni;
Aurea, quæ nexu cor meliore ligant;
Non negat; his animos jungi feliciter optat,
Et non ſolvendâ ſemper amare fide.
Quod ſi fortè ſimul vinciri corpora mavis,
Ut poſſis capto non minor eſſe Deo;
Non opus eſt ferro nutantia ſtringere colla,
Aut digitos laqueis impediiſſe tuos:
Vis eadem, quæ corda ligat, retinebit & artus,
Nec ſinet officiis longiùs ire ſuis;
Captivoſque tenens oculos, linguamque, manuſque,
Membra ſuis coget vivere limitibus.
Sic juvat ô! nullâque mei non parte revinctâ,
Fas mihi ſit Dominum poſſe referre meum.

ELEG. IV. *Amor accuſatus.*

QUo properas, miles? cur ad prætoria ducis?
Crede mihi, non eſt litigioſus Amor.
Odit Amor rixas, clamoſaque jurgia linguæ,
Et grave, ſuſpenſo Judice, diſſidium.
Pacem amat, & causâ quantumvis læſus iniquâ,
Ex facili veniam datque petitque Deus.

Digitized by Google

Vos quoque, qui captum vinclis oneraſtis ahenis,
Non ideò ſceleris durior ultor aget.
Indulgere cupit, quidquid peccaverit ira,
Officiiſque ſibi conciliare novis.
Quid tamē hæc memoro? De crimine poſcitur ipſe,
Qui tulit, & cauſam dicere debet, Amor.
Aſpicis, ut judex ſellâ conſedit eburnâ,
Jamque oculis furias indicat ipſe ſuas.
Hinc illinc longus ſeniorum admurmurat ordo,
Conceptumque nequit diſſimulare nefas.
Adſunt de trivio conducti munere teſtes,
Emptaque in innocuum promere verba parant.
In medio reus adſtat Amor; ferrataque geſtans
Vincula, ſubjectâ lumina figit humo.
Non tamen intremuit. Nil eſt palloris in ore,
Sed color, Idaliis ut ſolet eſſe roſis.
Idem oculis vigor eſt, eadem conſtantia fronti,
Hei mihi! quis vero ſic ſtetit in ſcelere?
Et tamen haud uno de crimine quærere Judex
Incipit, objectis exagitatque probris.
Quid facis, infelix? maculas in ſole requiris,
Et labem intactis eſſe putas nivibus.
Quid malè commiſit? quid non benè præſtitit unquam,
Qui niſi prodeſſet, non remaneret Amor?
Omnia ſunt illius opus: ſine Amore fecundo
Nil mare, nil gremio divite fundit humus.
Ille rubro teretes excludit litore gemmas
Imbuit & ſuccis vellera purpureis;
Ille rudem terram fulvum convertit in aurum,
Et facit humanas creſcere divitias.

Ille

Ille rigat pluviis, & amico temperat igni,
Unde ſuo fruges tempore campus habet.
Et tu cenſurâ bona tanta rependis iniquâ!
Dic age, quo læſit tot benefacta malo?
An ſcelus eſt, regni quod majeſtate relictâ
Venerit, indutus vilia membra, Puer;
Ut ſimilis nobis humano in corpore factus,
Præberet flammæ pignora plura ſuæ?
An ſcelus eſt, quoſvis verbo depellere morbos,
Membraque truncatis reddere corporibus?
Aut modò de tumulis manes revocare ſepultos,
Et viduas, victâ morte, replere domos?
Nec tota hæc pietas: ut corpora, ſic quoque mentes
Juvit, in officio continuitque ſuo.
Vos eritis teſtes Tiberi de nomine ſtagna,
Cum ſtetit in veſtro litore doctor Amor.
Certè ego vos undas, dum ſacra reſolveret ora,
Ad Domini voces continuiſſe reor.
Forſitan & flammas adeò ſenſiſſe propinquas,
Et ſubitò mediis incaluiſſe vadis.
Ah quoties illic, quoties per rura, per urbes,
Undique collectos detinuit populos!
Sanctaque depromens vitæ præcepta decoræ
Inſtituit turbas voce manuque, rudes!
Quis ſcelerum vindex, cenſorque ſeverior illo,
Sub quo nulla fuit libera nequitia.
Non regum ambitio, non terruit ira potentûm,
Omnibus ex æquo criminis ultor erat.
Quid tamen illa juvant? Splendorem noctua tantum
Non patitur, tenebris & timet ipſa ſuis.

Digitized by Google

Utque foret tutum, ſubmoto vindice, crimen,
Hinc etiam virtus inſumulanda fuit.
At queſtum ſatis eſt. Quid enim defenditur ille,
Qui tacet, & culpam more fatentis adeſt.
Nempe nocens Amor eſt; non quod peccaverit ipſe,
Sed ſontem faciunt crimina noſtra Deum.
Hoc ego debueram, mea Vita, ſubire tribunal;
Hoc merui, quo ſtas, ipſe ſtetiſſe loco.
Tu genus indignum nimio dignatus amore,
Heu! gravis es vinclis flagitiiſque meis.
Nec refugis pœnam noſtrâ perſolvere causâ.
O pietas! ô non antè repertus Amor!
Non, non humani, non pectoris ille creati
Eſt calor: æternum jam liquet eſſe genus.
Et nos ingrati, tanto non urimur igni?
Ah pereat, ſi quis non redamare poteſt.

ELEG. V. *Amor alapâ percuſſus.*

QUis ferat hoc? Vos hîc volucres ceſſatis Amores,
Et tantum, lenti, dedecus aſpicitis?
Non jaculis flammiſque ſuis inſtructa juventus,
Continuò tectis provolat æthereis?
Et Domini probrum ſumptis ulciſcitur armis?
O nimiùm bello ſegnis, inerſque cohors!
Ecce palam, cœtu in medio, de fæce ſatelles,
Prô pudor! armatas extulit ære manus;
Sidereaſque genas ferrato perculit ictu.
Cernis, ut impreſſis ora rubent digitis?
Et dubitatis adhuc ſceleratas ſumere pœnas,
Et caput hoc cunctis figere cuſpidibus?

Execrandâ

Execranda manus, quæ te væſania adegit,
Ut fieres ferro durior ipſa tuo?
Hæc, puto, lethiferis infecit pocula lymphis,
Et magico ſignans duxit in orbe notas;
Aut modò nil meritos potuit pulſare parentes;
Aut modò fraternâ cæde cruenta fuit:
Aut etiam ſacris injecit ſedibus ignem,
Signaque Divorum comminuiſſe reor.
Cuncta prius tentaſſe liquet, quam crimine tanto
Auſa ſit immeritas eviolare genas.
Et nondum ſubitò ſolvuntur membra ſtupore?
Nondum ſacrilegi diſſiliunt digiti?
Nondum quo tegitur furioſa induruit ære,
Duritiæ pœnas dextra datura ſuæ?
Heu! quid agam? Vindicta quidẽ non una parata eſt:
Sed pœnas, is qui læditur, ipſe tenet.
Ergone ſucceſſu ſe jactet Barbarus iſto,
Et plauſum, populo facta probante, ferat?
Hic malè percuſſus, dictiſque petitus amaris,
Suſtineat tacito vulnus utrumque ſinu?
O pudor! En facies cælo formoſior ipſo,
Cum medio rutilum fulgurat orbe jubar;
En facies, ubi lilia cana roſæque rubentes
Ex æquo dotes compoſuere ſuas;
En facies, ubi quidquid amabile terra poluſque
Continet, amplexu clauditur exiguo.
Hæc fuerant quondam; nunc omnia fœda cicatrix
Abſtulit, & toto turpis in ore tumor.
Quis modò te vultu, mea lux, cognoſcat in illo?
Quis modò divinum dixerit eſſe genus?

Et

Et tamen agnoſco, nec formâ vilior illâ es,
Quam ſcio te causâ ſponte ſubire mei.
Nempe peregrinâ ſub imagine tectus Amator,
Sæpè ſolet ſponſæ carior eſſe ſuæ.
Proditur indiciis certis, velataque forma
Acriùs occultis excitat indiciis.
Sic quoque mutato quamvis te conſpicor ore,
Non minùs, hoc turpi ſchemate, notus eris;
Lurida ſed facies flammis majoribus uret:
Urat, ad æquales permoveatque faces.

ELEG. VI. *Amor cæcus.*

ERgo parum fuerat teneros ſtrinxiſſe lacertos,
Et niveas vinclis inſeruiſſe manus?
Anne metum faciunt oculi? Cur ſtringit & illos
Barbarus, & denſâ lumina veſte tegit?
An timet, aſpectu veniat ne fulmen ab illo,
Cumque oculis crimen poſſe latere putat?
Sic reor: at nebulas hoc eſt opponere ſoli,
Et fruſtrà rutilum condere velle jubar.
Quantumcumque voles, velamina congere, miles,
Luminaque adſtrictis comprime luminibus:
Non ideò latuiſſe potes: ſat permeat inde
Lucis, & occultum non ſinit eſſe nefas.
Fac tamen obduci penitus: luculentior intus
Eſt oculus, factis invigilatque tuis.
Excubat hic ſemper, radiiſque minacibus inſtans,
Fortiùs objectis fulgurat in tenebris.
Quóque magis tegitur, magis hoc ardeſcit in iras,
Factaque cenſurâ liberiore notat.

Cur

Digitized by Google

Cur iterum graviora cano, pœnaſque repoſco?
  Non jam vindictam ſumere venit Amor.
Sumere ne poſſit, velari lumina juſſit,
  Et ſpeciem cæci cæcus Amoris habet.
Dicitur hic, niveâ præcinctus tempora vittâ,
  Aut etiam captis vivere luminibus.
An quia, ſæpè ferens digna atque indigna relatu,
  Dedecus irriſus non videt ipſe ſuum?
An quia diſſimulat, ſi quid peccavit Amator;
  Semper & in promptu, quo tueatur, habet?
Quidquid id eſt, hæc cauſa tuos jam texit ocellos;
  O Amor! & ſolitâ luce carere facit.
Tu Deus, æterno ſoboles æquæva Parenti,
  Cui tendit famulas orbis uterque manus,
Nunc quaſi depoſito ſceptro, generiſque tuique
  Immemor, hæc pro me vincula ſpontè geris.
Aptiùs ultrices vibraret dextera flammas,
  Criminibus pridem debita tela meis.
At neſcire cupis, nec crimina noſtra videre.
  Hinc, quaſi privatus lumine, cæcus ades.
Adſis ô! cæcumque refer mihi ſemper Amorem,
  Diſſimulans vitæ facta nefanda meæ.
Lynceus in reliquis, hic talpâ cæcior eſto,
  Tectaque velatus lumina ſemper habe.
Non ideò certè pergam tibi durior eſſe,
  Aut Dominum probris ludificare novis:
Plus mihi flammarum tenebris orietur ab illis,
  Plus oculis lucis nox dabit illa meis;
Ut tandem poſito, quod geſſi pectore, ferro,
  Ex æquo captos mutuus urat amor.

ELEG.

Digitized by Google

ELEG. VII. *Amor pro ſtulto habitus.*

DIcitur, & verum eſt: Semel inſanivimus omnes,
Quos levis inſano cuſpide læſit Amor.
Obſidet hic pernox indignæ limen Amicæ,
Nec timet in gelidâ ponere corpus humo.
Hic, quaſi ſentirent, ſurdis convicia dicit
Poſtibus, in duras invehiturque feras.
Ille, fores Dominæ tentat placare canendo,
Myrthea nodoſis ſerta ferens tabulis.
Eſt quoque qui diris ſe devovet omnibus amens,
Si redeat, toties unde repulſus erat:
Cum benè juravit, verbo convertitur uno,
Et negat iratum mente fuiſſe bonâ.
Quid niſi ſtultitia eſt, albos componere crines,
Et tremulâ linguâ dicere blanditias?
Quid niſi ſtultitia eſt, vitium ſimulare loquendo,
Ut liceat blæſo reddere verba ſono?
Aut, ſi quæ fuſca eſt, faciem laudare nitentem?
Si calva eſt, denſas commemorare comas?
Quid memorem? quoties voto fraudatus Amator,
Implicuit collo vincula fœda ſuo?
Et quoties ſumpto rupit præcordia ferro,
Aut caput adverſis comminuit foribus?
Quis, precor, inſanit; ſi non rationis egentes
Hos faciat, cæco vulnere, ſtultus Amor?
At tu, qui flammis animos melioribus uris,
Cur etiam fatui nomen Amoris habes?
Tu ſolem, & lunam, cælique volubilis orbes
Non interruptâ mobilitate rotas.

Tu

Tu medio geminum ſuſpendis in aëre mundum,
Ponderibus librans corpora tanta ſuis.
Tu facis undoſum conſurgere montibus æquor,
Et rurſum refluis ſidere vorticibus.
Per te temporibus diſcedit quattuor annus,
Et capit alternas noxque dieſque vices.
Omnia conſilio cum tam ſapiente gubernas,
Quis furor eſt, captum dicere mente Deum?
En etiam niveâ circumdat membra lacernâ
Barbarus; & cultu, mente carere, probat;
Illuſumque jubens, totam curſare per urbem,
Spectaclum populis militibuſque facit.
Ille tacet, qualiſque laceſſitur, eſſe putatur;
Forſitan & prudens hoc quoque nomen amat?
An quiſquam eſt igitur, nimis ah! violenter amatus,
Qui potuit noſtro tam ferus eſſe Deo?
Et titulum infamem, crebrâ cauſare repulsâ?
O! fuit hic ferro durior, & chalybe.
Me miſerum! proprii refero monimenta furoris.
Eloquar? an ſileam dedecus ipſe meum?
Ille ego ſum fateor, mea Lux, ego cauſa, videri
Tu quoque cur poſſis mente carere, fui.
Tu ſatus æterno cùm ſis de Numine Numen,
Arſiſti noſtro captus amore Deus.
Omnibus illecebris ad fœdera certa vocabas,
Ut mos eſt cupidis ſollicitare procis.
Nam modò muneribus, modò blandâ voce rogabas;
Nunc etiam regni parte trahebar amans:
Telaque tot caderent faſtu licet irrita noſtro,
Non tamen idcircò lentus Amator eras.

Ecce

Ecce recèns pro me mortales induis artus,
Abjectâque Puer naſceris in ſtipulâ.
Et jam vincla geris, mox ſanguinis imbre rigandus,
Quis, precor, hæc ſani pectoris eſſe putet?
Et potero tantos poſt hæc contemnere amores,
Aut fatuum culpâ reddere velle novâ?
Ah ſatis irriſum eſt; abeat de pectore faſtus;
Inque vicem jam te, Lux mea, depeream.
Nec minùs ardenter, quàm tu dilexeris, urar,
Exemplo meliùs doctus amare tuo.
Tunc etiam fatuum, tunc dicant mente carentem;
Non cupio Domino ſcitior eſſe meo.

ELEG. VIII. *Amor rex animorum.*

PONe metum, Romane, Aquilis nil triſte paratur;
Nil tuus hìc Cæſar, quod vereatur, habet.
Rex Amor eſt; tantuſque, cui ſunt ſubdita regna,
Quot videt exoriens, occiduuſque dies.
Regna ſed hæc aliis non duratura remittit,
Nobiliuſque ſibi vindicat imperium.
Imperat hic animis, quos flamma beatior uſſit,
Et regni ſedem cordis in arce locat.
Si non nobilium circum ſtetit undique turba,
Nec vigil auratis occubat in foribus:
At circum charites, junctis ex ordine dextris,
Et pax, & ſtabili relligione fides.
Has inter ſolio reſidet ſpectabilis aureo;
Fertque ſuas leges, juraque dicit Amor.
Non tamen has leges ferro defendit, & igni;
Exulat, inducto pulſus Amore, timor.

Mollibus

Mollibus at ſtimulis, animos jam ſponte volentes,
Non niſi blanditiis muneribuſque, movet.
Nec minùs idcircò mandata faceſſere cernas,
Ardua quantumvis juſſa ſubinde ferat.
Tantùm opus eſt nutu, nigros volat alter ad Indos;
Alter ad Arctoas ſuſtinet ire nives.
Tertius in flammas & aperta pericula miſſus,
Aſpicit immotis funera luminibus.
Nec labor abducit, factique moleſtia terret:
Ipſe ſuas vires, dum jubet, addit Amor:
Ipſe comes lateri graditur, penniſque ferentes
Sublevat; hinc leve fit, quod bene fertur, onus.
Tangeris, & placuit regnum moderamine tanto?
Subde, age, divino tu quoque colla jugo.
Non ideò fies de Præſide Cæſaris hoſtis,
Hæc potes illæſâ jura ſubire fide.
Sed canimus ſurdis. Alius ſedet ignis in illo
Pectore, quem Paphius ſuſcitat uſque Puer.
Vos Animæ, vos quæ flammâ meliore caletis,
Pars eritis regni, non aliena, novi.
Sed non antè tamen, quam pulſis mente tyrannis,
Quos videt in ſolio ſceptra tenere ſuo.
Scilicet impatiens regni conſortis, in uno
Imperio, reges non feret eſſe duos.
Solus Amor regnare cupit, vel cedere regno
Cogitur, & terris exul abire ſuis.
Ah ſatis eſt, dominis quondam ſerviſſe ſuperbis,
Et nimiùm duro ſuccubuiſſe jugo.
Quot bona perdidimus, ſub graſſatoribus illis!
Quot tulit addictas pertica triſtis opes!

Quot

Digitized by Google

Quot mala perpeſſi, quot vulnera ferre coacti,
Indignis vincti corda cupidinibus!
Jam pridem infames decuit rupiſſe catenas,
Atque humeros oneri ſurripuiſſe gravi.
Pœnitet, ô! Date tela viri, feror ultor in hoſtem:
Pellenda eſt iſto turba cruenta loco.
Tu vires conjunge tuas, mitiſſime regum,
Et ſolium mecum tu tibi redde tuum.
En patet acceſſus; tu fractis irrue portis.
Fallor? an aſpecto terga dedere Deo?
Ite triumphales circùm præcordia laurus:
Vicimus: en iterum cordis in arce ſedet
Rex Amor; en iterum regni ſuſcepit habenas,
Atque animum blandis temperat imperiis.
Pax rediit, redeunte Deo, pietaſque, fideſquė,
Et bona divinis copia muneribus.
Vivat io! regnetque diù, partoſque triumphos
Augeat, adjectis, quotquot amant, animis.
Certè ego, perfidiæ deteſtans crimina priſcæ,
Ecce novam juro, tempus in omne, fidem;
Non alium poſt hac ſeſſurum in pectore regem,
Dum mens, & ratio, vitaque ſoſpes erit.
Si fallam, rurſumque amens data fœdera frangam;
Tunc mihi cor imos excidat ante pedes.
Interea vigiles, mentis cuſtodia, ſenſus
Non intermiſſis ſtabitis excubiis.
Veſtrum erit, occluſis regem defendere portis,
Et malè ſuſpectas, inde movere manus.
Sed cautos vos eſſe volo, nec fidere verbis
Mollibus, aut vanis credere pollicitis

Quiſ-

Quiſquis erit, procul arcendus de finibus hoſtis,
Ni faciat certam teſſera nota fidem.
Sic, precor, æternùm tranquillâ in pace quieſcens,
Vivat, & in cupido pectore regnet Amor.

ELEG. IX. *Amor latroni comparatus, & poſtpoſitus.*

NUnc ego non verear tenebras componere luci,
Et dicam ſimiles noctibus ire dies.
Frigida committam calidis, humentia ſiccis,
Inque ſuum faciam cuncta redire chaos.
Nam furor & pietas trutinâ ponuntur eâdem:
Hinc Deus, hinc torvo conſtitit ore Latro.
Exitus in dubio eſt, utri præponderet alter,
Quiſve ſuâ palmam de probitate ferat.
Quodque magis mirum, probro quoque dicitur illo,
Ipſe ſuo Judex conſuluiſſe reo.
Quid rigor efficiet, ſi ſic clementia parcit?
Eveniat bonitas hoſtibus illa meis.
Hiccine, qui pridem ferro graſſatus & igni,
Terrorem totâ ſparſerat urbe ſuum?
Cernis? adhuc oculis cædem ſpirantibus ardet,
Et torvo ſolitas incutit ore minas.
Adjice commiſſas, populo ſpectante, rapinas,
Furtaque direpto ſæpè relata foro;
Effractaſque fores ſpoliataque vindice nullo
Limina, & in mediâ vulnera facta domo.
Et quiſquam ſcelus hoc tenero componere Amori
Audeat? ah! oculos non habet ille ſuos.

Cui, precor, is nocuit; cujus virtute ſub auras
Venerunt rupto funera multa ſolo?
Vulnera curavit medicus, non intulit hoſtis,
Viribus inſtaurans membra caduca ſuis.
Tum quoque cum potuit ferrum ſtrinxiſſe videri,
Aut pugnam hoſtili conſeruiſſe manu;
Crimina, non homines, petiit; ſcelerumque ruinâ
Sæviit: hæc illi ſumma furoris erat.
Sed neque Latronis pars altera convenit illi.
Res eſt munifici pectoris omnis amor.
Vos populi, ſenſiſtis enim, & memorare poteſtis,
(Cum premeret quondã languida membra fames)
In ſterili miſerens quot millia paverit agro,
Utque Ceres fœtis creverit in manibus.
Cætera ſunt oculos fugientia munera noſtros,
Et tantùm cupidis cognita pectoribus.
Una tamen, fateor, poſt tot benefacta, rapina eſt,
A tam munifico non aliena Deo.
Dicitur, & verum eſt, animis graſſatus in ipſis,
Cordaque blanditiis ſæpè tuliſſe ſuis.
Sed quiſnam indoluit damno, quod ſponte ſubivit?
Quem piguit dulci vivere ſervitio?
Quis ſibi jacturâ melior non redditus illâ?
Quis renuit tali fœnore ſæpè rapi?
Talis Amor latro eſt: noſtro nos tollere lucro
Gaudet, & acceptis reddere plura bonis.
Cur tamen hæc refero, quando virtutibus illis
Non plus quam ſceleri ponderis eſſe putant?
Tu potes acceptum, Solymæ pars optima, probrum
Tollere: judicio ſubditur ecce tuo.

Quem

Digitized by Google

Quem malè compoſuit Judex, tu præfer Amorem;
Et meritis omnes, dic, ſuperare ſuis.
Non erit ingratus: nihil eſt humanius illo:
Plus etiam poſthac, quam dedit ante, dabit:
Inque vicem populis te præferet omnibus unum;
Utque caput Gentis, ſic caput orbis eris.
Vana precor: viden, ut præceps inſania mentes
Abripit? en etiam compoſuiſſe parum eſt.
Tollite, conclamant, lethoque abſumite Amorem,
Alter ab alterius ſanguine liber eat.
An genus hoc hominum eſt, an ſtirps inviſa ferarum?
Non, non eſt noſtri ſanguinis iſte furor.
Jam pridem humanos poſuit gens perfida ſenſus,
Duritieſque Patrum permanet in ſobole.
Vos quibus ingenium placidum natura reliquit,
Nec ſcelus exſortes pectoris eſſe facit;
Vos mecum ultores læſum defendite Amorem,
Ereptumque aliquâ reddite parte decus.
Crimen in auctores totidem convertite verbis:
Cum populo pereat Barbarus ille ſuo.
Vivat Amor, penituſque in viſcera noſtra receptus,
Plus quam Neſtoreos vivat, ametque dies.
Majus Amore nihil; nil eſt pretioſius illo,
Qui pretium reliquis omnibus eſſe facit.
Hoc ſine nil cupiam, non venas divitis auri;
Non, quod gemmiferis colligit Indus aquis:
Non cælum, non aſtra velim, non limina Divûm,
Non, ſi quid ſupra dignius axis habet.
Omnia vincit Amor: nil ſit mihi carius illo.
Dum fruar hoc uno, cætera deſpiciam.

ELEG. X. *Amor innocens declaratus.*

DEficit impietas; fruſtra furit omnibus armis,
Et petit innocuum, livida turba reum.
Nil empti teſtes, nil accuſator acerbus,
Nil vafer occultâ repperit arte dolus.
Scilicet obducit ſolem, non inficit umbra;
Nec puro maculas accipit orbe jubar.
Permanet intactus caligine Phœbus in ipsâ,
Offuſaſque ſuo lumine pellit aquas.
Sic quoque criminibus nequidquam mille petitus,
Se, propriâ fulgens luce, tuetur Amor.
Reſtitit attonitus Judex; tantumque nitorem
Se negat arbitrio lædere poſſe ſuo.
Quid mihi virtutem, Cives, obtenditis illam?
Quid, precor, hic cauſæ, cur moriatur, habet?
Quò magis excutio, magis hoc ſe prodit honeſtas,
Et color objecti criminis omnis abit.
Si regem imprudens ſe dixerit: omen abeſto:
Jam meritas pœnas garrula lingua dedit.
Sed neque Romanum petit hæc injuria nomen;
Ite, ſub his vobis regibus eſſe licet.
Non vetat hoc Cæſar, neque regno tangitur illo,
Quod ſibi de trivio ſumere quiſque poteſt.
O bene! rumpe moras, nec tanto cardine rerum,
Imperium Solymæ differ adire novum.
En tibi, cum Domino libertas redditur illo;
Jam potes excuſſo vivere ſervitio.
Erige te, vetereſque vocans in pectora vires,
Exime Romano libera colla jugo.

Quid

Quid non ira facit? Cæſar præfertur Amori;
Et ſua, quæ nollet, vincula vulgus amat.
Dum cadat hic, lignumque inſons tollatur in altum,
Sæva nimis populo nulla tyrannis erit.
Vade, nec invideo, regi ſervire ſuperbo,
O gens æternum nata ſubire jugum!
Tempus erit, cum Cæſaribus parere pigebit,
Et referes telis vulnera facta tuis.
Si quid habent veri ſacrorum carmina Vatum;
Si quid divino creditur eloquio;
Ex illâ vindicta domo tibi ſurget, & ultor
Iſte tuus quondam Cæſar Amoris erit.
Hei mihi! Romanas circum tua mœnia turmas,
Infeſtis jam nunc conſpicor ordinibus.
Jam tua perpetuo cingunt pomœria vallo,
Urbſque recens muris imminet una ſuis.
Flamma foris, ferrumque premit, lapidumque ruina,
Pons aggreſſuris ſternitur agminibus.
Intus fœda fames, agit in ſua viſcera matres,
Biſque ſuis venter fœtibus intumuit.
Intereà miles, murorum parte revulsâ,
Irruit, & captâ victor in urbe furit.
Nil ætas, ſexuſque movet; diſcrimine nullo,
Imbuit ultrices, fœmina, virque manus.
Sors eadem tectis; ferus omnia Mulciber aufert,
Aut gravis æratâ machina fronte quatit.
Exitus hic belli eſt; ſaxorum incondita moles,
Et Judæorum ſanguine pinguis humus.
Si qua manus forſan ferro ſuperabit & igni,
Exul, inops, toto quæret in orbe locum;

Digitized by Google

Omnibus opprobrium populis, nec flebilis ulli,
Perfidiæ pœnas uſque datura ſuæ.
Hæc natis, Judæa, tuis, generique nefando,
Jam nunc pro læſo Numine Roma parat.
Sic gratus tibi Cæſar erit, ſic facta rependet;
Ut per quem ſcelus eſt, ſit quoque pœna tibi.
Intereà regno quamvis privatus avito,
Non tamen ex toto ſceptra remittet Amor.
Rex erit, atque ſuo populos de nomine dictos
Imperio victor nobiliore reget.
Tu quoque quæ ſeptem nunc collibus alta ſuperbis,
Non renues blando ſubdere colla Deo.
Utque caput mundi, ſic regia rurſus Amoris
Jura, per Eoos, occiduoſque dabis.
Tunc iterum magnos intra tua mœnia reges
Aſpicies flexo procubuiſſe genu.
Regnaque Romanæ gaudens ſubmiſſa tiaræ,
Arbitrio reddes, accipieſque tuo.
Felix Chriſtiadum ſoboles, nimiumque beata,
Quam bona tanta, Deo ſceptra tenente, manent!
Quidquid Idumæis promiſſum muneris olim,
Ad vos cum regno transferet ille ſuo.
Non timor errantes, non ferrea juſſa tenebunt,
Quæ tulerat duris Corniger Iſacidis.
Plus poterit ferro demiſſum munus Olympo,
Blandaque vis cupidis indita pectoribus.
His Amor, & pietas, populos inflectet habenis;
Quóque volet, victor mollia corda trahet.
Dum placido curſu, ventiſque ferentibus actos
Advertant patriis carbaſa littoribus.

Erep.

Digitized by Google

Ereptoſque ſolo, & cæli ſuper atria vectos,
Transferat ad regnum Rex Amor ipſe novum.

ELEG. XI. *Amor nudatus.*

HÆc quoque defuerat caſtis injuria flammis,
Nudus ut in turbâ proſtituatur Amor?
Falleris, ô miles, non eſt puer ille Diones,
Quem Paphiis fertur progenuiſſe jugis.
Hic Amor, intactâ veniens de virginis alvo,
Non niſi virgineas attulit inde faces.
Ille movet fœdas nudato corpore flammas;
Hinc poſitis nudus veſtibus eſſe ſolet.
Mentibus hic tantùm puris incendia tædis
Suſcitat; hinc artus denſa tegit tunica.
Quid tamen arguimus? viden, ut velamina membris
Non minus impuri militis ira rapit?
Fruſtra Amor injectas pugnat divellere palmas,
Et ſtrophio cinctum corpus habere brevi.
Exuitur totus, nullâ non parte retectâ,
Ut puer eſt auris redditus æthereis.
Neve verecundis infamia deſit ocellis,
En etiam circum turba proterva ſtetit.
Quid facis infelix? vultus averte, ſatelles,
Cur ſævis, pluſquam judicis urna jubet?
Hic flagris tenerum juſſit divellere corpus,
Non verò obſcœnis cædere luminibus.
Ille cruentari mandavit ſanguine membra,
Non ut purpureus pingeret illa rubor.
Deniqueſupplicium ſolos decrevit in artus,
Cur etiam caſto vulnera fers animo?

Digitized by Google

Ah pudet! en oculos fugiens avertit honeſtos,
  Oraque ſubjectâ contegit ipſe manu.
Aſpicis hæc Titan, nec adhuc te ſubtrahis orbi,
  Involvens tenebris omnia Cimmeriis?
Et tu, magne Pater, cui ſol & ſidera parent,
  Hæc poteris Nati probra videre tui?
Herba tegit campos, veſtitur floribus hortus,
  Ligna latent denſis abdita corticibus.
Nec volucri plumæ, nec ſquammæ piſcibus abſunt,
  Lanaque balantes integit alba greges.
Nos quoque, queis ſolis veſtem natura negavit,
  Non pateris nullis vivere tegminibus;
Sed modò lanarum nebulas, modò ſerica donas
  Vellera, quæ Tyriâ femina pinxit acu.
Unus, & hic tanti Genitoris origine clarus,
  Nudus adeſt, nec quo membra tegantur, habet.
Senſimus ô! aliena iterum delicta luenda:
  Pœna erat hæc, noſtræ debita luxuriæ;
Præcipuè vobis, comptæ, leve vulgus, amicæ,
  Quas vagus inſano perculit igne puer.
Quis furor eſt, humeros & candida pectora, nudas
  Innocuis flammas ſubdere luminibus?
Aut modò reticulis carnem prætexere raris;
  Aut tralucentes corpore, ferre ſinus?
Has ego Chriſtiadas, & tanto nomine dignas,
  An potius veneri corpora ſacra rear?
Sic lupa, fornicibus juvenilia pectora captans,
  Se ſolet oblatis vendere muneribus.
Quod ſi nulla movent propriæ diſpendia famæ,
  Et pudor eſt iſtâ lubricitate minor;

At

Digitized by Google

At moveat, quem nunc, nudatum crimine veſtro,
Excruciant læſæ damna pudicitiæ.
Sin contrà obnixæ, patrios defendere mores
Pergitis, & laxo non minùs ire ſinu:
Tunc, precor, Arctoâ vindex à ſede catarrhus,
Aſperet infeſtis pectora frigoribus;
Serpat & uberibus lentâ putredine cancer,
Atque imos ſacro permeet igne ſinus.
Expedit, ante diem, meritùm conſumere corpus,
Quam mentem æternis perdere ſuppliciis.

ELEG. XII. *Amor flagellatus.*

HIc ego ſi repetam, quidquid doluiſtis Amantes,
Vocibus aptantes carmina flebilibus;
Funera ſi mœſtis quondam plorata theatris
Contendam numeris commemorare meis,
Materiâ leviora canam: dolor omnia præſens
Vincit, & humano grandior ore furor.
Et video: congeſta jacent tellure flagella,
Hei mihi! quam multis aſpera cuſpidibus!
An tormentorum ſeges hæc hærebit in uno
Corpore, an in plures èſt abitura reos?
Sic ego ſæpè foro cumulari verbera vidi,
Integra cum ſtaret percutienda cohors.
Et tamen hæc rabies unum petit omnis Amorem,
Inque artus veniens ſæviet innocuos.
Ecce ferox animis & nudus brachia lictor
Proſilit, hamatos corripuitque rubos.
Turbinis in morem furit implacata procella:
Ictaque ceu denſa grandine terga ſonant.

Nec

Nec mora nec requies : ſuccedunt ictibus ictus :
Laudatur ſi quis verbera plura ferat.
Parciùs, ô miles ! non eſt, quem cæditis, ære
Fuſus, non ſcopulo, non adamante ſatus.
Carneus eſt, tenerâ quondam de Virgine natus.
Aſpicis? ut primis ictibus intumuit.
Jam nunc purpureis ſcribuntur tergora ſignis,
Atque aliquis venis incipit ire cruor.
Dum queror, ad pœnas juvenes ſubiere recentes,
Et primis cumulant vulnera vulneribus.
Undique prorumpit lacero de corpore ſanguis,
Et bibulum roſeo perpluit imbre ſolum.
Stat tamen inconcuſſus Amor : non ora retorquet ;
Non fugit abductis verbera corporibus.
Sed potius ſcuticas circumſpicit ipſe recentes,
Et parat ad plagas tergora ſciſſa novas ;
Pectoraque & reliquos intacti corporis artus
Exhibet, ut nullus ſit ſine labe locus.
Quid ſtatis? dicturus erat, ſed prævenit ira
Militis, atque omni vulnera parte facit.
O Amor, ô! quis te violentiùs alter amavit?
Non homines tanti, totaque terra ſumus.
Quid dignũ hac flammâ vel mendax Græcia finxit,
Deque ſuis auſa eſt dicere Numinibus.
Paverit Admeti tauros formoſus Apollo,
Dum vagus Æmonio tabuit hoſpitio.
Ipſe Pater ſuperûm pluvium ſit verſus in aurum,
Nunc bos, nunc iterum de bove factus olor.
Quis Deus humanâ ſub imagine dilaceratus,
Ingratæ tantum ſtirpis amore tulit?

At

At nondum ſatis eſt: rabies â ſanguine creſcit,
Ut ſolet infuſo ſurgere flamma mero.
Jamque locus minor eſt plagis, jam vulnera cædit
Lictor, & æratis viſcera nuda flagris.
En, ut hiat patulum pectus, coſtiſque retectis
Cor micat. An tanto ſanguine deficiens
An potius noſtro languens poſt vulnera faſtu,
Vix animam luctu mœſtitiâque trahit?
Heu! Anima; heu! duro potes hæc contemnere vultu,
Tu, per quam rabies, & furor omnis agit?
Nonne vides, tanto molleſcere cuncta dolore,
Quæque licet, ſenſus reddere ſigna ſui?
Horruit aſpectu lapidoſi carceris antrum,
Saxaque ſtant guttis humida purpureis.
Cernis? ut & ferro miteſcunt flagra retuſo,
Et renuunt ictus languida ferre ſuos?
Ipſe ſtetit motus nimiâ feritate ſatelles;
Et queritur, crudas tam valuiſſe manus.
An te igitur tigres, humano ſanguine paſtæ,
Inter carnivoras progenuere feras?
Ut, quorum cauſa es, tot vulnera cernere poſſis,
Nec gemitum paucis reddere lacrymulis?
Quin age: durities ſi tanta eſt pectore in iſto,
Ipſa locum pœnæ, quo ſtetit ille, ſubi;
Debitaque admiſſis jam pridem vulnera noxis,
Quæ facis, ut fruſtra perferat, ipſa feras.

ELEG. XIII. *Amor ſpinis coronatus.*

VIcit Amor: Tyrio cinxit velamine corpus:
Jam, reor, & capiti digna corona manet.

Felix

Digitized by Google

Felix, cui dabitur ſacros contingere crines,
Victoremque ſuo quæ premet orbe, Deum!
Sive gravis gemmis; ſeu puro fulſerit auro;
Hoc capiet lumen vertice gemma novum.
Seu veniant flores; ſeu cinxerit innuba laurus,
Major erit ſertis gratia nexilibus.
Me miſerũ! novus ecce dolor, nova probra parantur:
Murice conſeritur digna corona ſuo.
Quis Schinis has pœnas, quis dirâ mente Procuſtes
Repperit inſuetæ nomina ſævitiæ?
Pileus aptatur, ſpinis horrentibus aſper.
O aliàs nunquam cognita Barbaries!
Túne, igitur rigidas inter, ſæviſſima, plantas,
Damnati probrum ſuppliciumque ſoli;
Tu, cui ſæpè jacit læſus maledicta viator,
Quam pecudes horrent, effugiuntque feræ;
Tu caput hoc cinges? tu tempora ſpina notabis,
Nunc etiam Domino ſæva futura tuo?
Illa quidem nollet, ſed durâ falce reſecta,
Crudeles ſequitur non ſine labe manus.
Et jam fixa ſedet diſrupto vertice ſilva,
Altius impactis horrida cuſpidibus.
Aſpice ut exerti ſteterunt circum undique ſentes,
Et ſtillant laceris vulnera temporibus.
Frons quoque tota patet. Stant lumina preſſa dolore.
Cætera diffuſus non niſi ſanguis habet.
Aſpicis? an teneros ſpecies hæc lædit ocellos?
O nimis ornatu, virgo, ſuperba tuo!
Tu caput attollis flavos turrita capillos,
En modò, quâ mythrâ ſe tibi compſit Amans.

Digitized by Google

En madidos myrrhâ crines, nardoque fluentes,
En pictos oculos, purpureaſque genas.
Huc ſtibium, fucumque tuum vaniſſima confer,
Quæque latent unctis pharmaca pyxidibus.
Heu! quam diſſimili cultu variaris ab illo,
Quam male conveniens diſſidet ille color!
Quin agis, & ſpeculo te contemplaris in iſto,
Quo Venetæ melius non poliere manus?
Aut hoc, aut nullo cognoſces judice nævos,
Quidve probas deceat, dedeceatque nurus.
Si lubet adſcito faciem mutare colore,
Hîc tibi pro minio ſanguinis imber erit.
Oraque puniceo pinget ſuffuſa rubore,
Quem pudor aſpecto coget adeſſe Deo.
Si juvat intortos poſitu variare capillos,
Officium doctæ ſpina ſubibit acûs.
Quis ſcit, an & vulnus capiti latura ſit illi,
Sed vulnus nullo ſanguine purpureum;
Quale facit divinus Amor, dum mollia blandus
Non duris adigit pectora cuſpidibus.
Forſitan & ſpinis ignis exibit acutis,
Non cujus flammâ tota flagrent nemora;
Sed qui virgineas urens ſine crimine mentes,
Excitet ad curas frigida corda pares.
Excitet ô! animoque arctari neſcius uno,
Exterius flammas ſanctior ardor agat;
Turritumque caput, fucataque tempora lambens,
Ornatu ſpoliet corpus inane ſuo.
Tunc licet horrorem ſpecies hæc attulit antè,
Mollior incipiet moribus eſſe tuis.

Nec

Nec gravis ut Judex, aut caſtigator acerbus,
Arguet inſanæ crimina luxuriæ;
Sed velut ignotâ facie blanditus Amator:
Plura dabit cupidis vulnera pectoribus.

Eleg. XIV. *Amor ſponſus ſanguineus.*

Tempus adeſt, jam ſponſa ſacro ducetur Amori
Eſte procul Paphiæ turba proterva Deæ.
Abſit Hymen, Venerîſque puer, reginaque Juno,
Pronuba firmandis credita connubiis.
Sanctior hîc ignis, cupidos inceſſit amantes,
Et coit auſpicio nobiliore fides.
Sed neque deliciæ veniant, choreæque, jocique,
Turbaque feſtivis garrula carminibus.
Non lituos non ſiſtra volo; lugubria tantùm
Mœſta ſonet numeris tibia flebilibus.
Strataque purpureo ſpargantur compita flore,
Concolor ut feſto ſit quoque ſponſa ſuo.
Sponſa veni: vocat hora, rotis adducta cupitis;
Signaque dat flammis ſtridula tæda ſuis.
Hei mihi, qualis adeſt! En, quænam purpura corpus
Texit, & ad ſummos defluit uſque pedes.
Non illam Tyriæ tinxerunt murice conchæ;
Imbuit ipſe ſuo ſanguine ſponſus Amor.
Aſpicis? ut rubeant, & adhuc ſtillantia membra
Non ceſſent imbres fundere purpureos?
Par capiti quoque cultus ineſt; nam ſpinea ſerta
Illita ſanguineis erubuere roſis.
Conveniunt crines, eductaque fontibus iiſdem
Defluit hirſutis myrrha cruenta comis.

Sed

Sed neque diſſimilem colli redimicula reddunt,
Hæc etiam tinctus ſanguine funis habet.
Cætera quid memorem? nullâ non parte cruentus,
Ardet in amplexus conjugis ire ſuæ.
Sponſa quid exſpectas, cupidumq; moraris Amantē?
Accipe promiſſi fœdera conjugii.
En calamo manus inſtructa eſt, ut ſcribere poſſit;
Vulnera tincturam ſanguinolenta dabunt.
Accipe fumanti ſignatum ſanguine fœdus
Inque vicem fidei pignora redde tuæ.
Heu genus inviſum! quis amans, quæ turba procorū,
Præbuit ardoris tot monimenta ſui?
Si potes, enumera: fœdum ſunt omnia vulnus.
Aſpice ſi plagæ pars vacat ulla novæ.
Si fuerit, cape flagra manu, vel percute ferro,
Totus ut ex toto corpore ſanguis eat.
Dummodò ſic victæ veniant in fœdera palmæ,
Hâc etiam thalamos dote ſubibit Amor.
Fallor? an erubuit vultus, roſeoque pudore
Incepit ſponſo concolor eſſe ſuo?
Sic juvat ô! perque ora, genaſque effuſa rubentes,
Lucida pro croceo ſanguine gutta fluat.
Forſan & abjecto ſuccedent triſtia luxu,
Et ſua mutatâ vulnera mente feret.
Forſan & incipiet tenerum dureſcere corpus,
Et nudâ ſpinas tangere poſſe manu:
Nec metuet ſumptis in ſe ſævire flagellis,
Ictaque vulnificis terga notare rubis.
Evenere; pari proceſſit ſponſa paratu,
Et coit æternâ virgo Deuſque fide.

Spargite

Spargite jam pueri flores, & dicite carmen,
 Ad thalamum properat ſponſus uterque ſuum.
Auguror, à cultu non differet ille priore,
 Nec cupiet Dominis mollior eſſe ſuis.
Scilicet accipiet tranſverſum corpora lignum,
 Duraque trabs rigido junget utrumque toro.
Membra tamen trabs illa premet, dum ſpiritus intus
 Plus quam deliciis difluet Elyſiis,
mplexuſque ſuos, atque oſcula conſcia jungens,
 Nota feret ſolis gaudia Cælitibus.

ELEG. XV. *Amor ad crucem anhelans*

ACtum eſt. Infelix exivit calculus urnâ.
 Occidet, infami ſtipite fixus, Amor.
Nec mora: feralis cadit icta ſecuribus arbor,
 Et cuneis fiſſæ diſſiluere trabes.
Inſtat hians operi miles; tigniſque paratis,
 Feſtinat membris jungere membra ſuis.
Macte animis: properate viri; labor ille duobus
 Commodat. Hoc Judex, hoc reus ipſe velit.
Nondum natus Amor vitales carpſerat auras,
 Hæc eadem quando crux in amore fuit.
Editus in lucem, voto ſuccenſus eodem,
 Extulit imbelles ad fera ligna manus.
Deinde domi juſſus puer exercere fabrilem,
 Ligna ſibi fertur conſociaſſe duo;
Diductoſque trabi teneros aptaſſe lacertos,
 Et pariter junctos exeruiſſe pedes.
Tum quoque cùm ſilvas jam grandior ibat in altas,
 Ah quoties viſis reſtitit arboribus!

Creſcite

Creſcite, dicebat, ramis felicibus omnes;
Auguror, ex vobis crux erit una mihi:
Sitque, precor, validoque rigens innoxia trunco,
Apta ferat membris ligna premenda meis.
Hæc fuerant quondam; nunc creſcere debuit ardor,
Cum propiùs votum cernit adeſſe ſuum:
Quóque minùs diſtat, magis impatienter amatur,
Et tamquam præſens proximitate trahit.
Sæpè, velut viſi gaviſus imagine ligni,
Exilit, & curſu robora cara petit.
Amplexuſque parans, & ſigna fugacia captans,
Paſſa diù fruſtrà brachia tendit Amor.
Quid fugis, exclamat; quid ludis amabile lignum?
Quid toties ulnis excidis umbra meis?
Quondam ego te, cælo terras delapſus in imas,
Poſthabitis veni quærere deliciis.
Cumque puer primùm te corpore ferre nequirem,
Scis, hilari junctas mente tuliſſe trabes.
Ex illo juſtâ creverunt brachia mole,
Et faciunt habiles ad tua membra manus.
Accipe, quid dubitas? Diductis corpora palmis,
Aptaque ferratis tranſfode cuſpidibus.
Forte nefas fuerat feralia ligna ſubire,
Ni fluerent tortis tergora ſciſſa flagris.
En totum jam corpus hiat; quid lenta moraris
Te pretium tantis reddere vulneribus?
Non ego dedecori tibi ero; non more latronum
Pendebunt truncis corpora noſtra tuis.
Sed prius infamis, quod non niſi crimina ferres,
Præ reliquis poſthac nobilis arbor eris.

Scilicet antiquæ reparabis damna ruinæ,
Quæque tulit vulnus, jam feret arbor opem.
Cumque probro fuerint lethalia poma ſorori,
Tu ſtabis vitâ conſpicienda novâ.
Hanc ego nunc illis cupio ſuſpendere ramis:
Quid cauſæ, cur tam lenta moraris, habes?
Spem mihi vicinam ſpecie promittis inani,
Inque oculis præſens, crux, mihi ſemper ades.
Cur non & manibus tandem contingere fas eſt?
Cur graviùs parvâ torqueor ipſe morâ?
Certè ego crediderim jam brachia ſecta fuiſſe,
Et geminas juſtâ mole coiſſe trabes.
Feſtinate viri; quid ligno hæretis in uno?
Quamlibet eſt parvi temporis iſte labor.
Non opus eſt acie, quæ ferro ducta recurvo,
Læviget ablatis robora tuberibus:
Sit ſcabra quantumvis, ſit acutis aſpera nodis,
Non veniet membris crux inimica meis.
Qualiſcumque mihi ſe præbeat, ô bona, dicam;
Nil mihi te totus carius orbis habet.
Tu mihi pro thalamo es, cupidos qui jungat amãtes,
Conſummetque ſacri fœdera conjugũ.
Tu mihi victricem tandem præſtabis arenam,
Mors ubi funeribus concidet icta meis.
Denique currus eris, quo victor in æthera ſcandam,
Servatas poſt me mille trahens animas.
Dixit: & intendens caſum ſtudioſus in omnem,
Mille boni cauſas proximioris habet.
Si levis increpuit vicinas aura feneſtras,
Jam putat impulſas inſonuiſſe trabes.

Si procul auditæ ſtrepitum fecere quadrigæ,
In foribus vectam credit adeſſe crucem.
Rurſus & amplectens, diductaque brachia pandens,
Credulus incerto luditur augurio.
Ah ſatis exempli eſt! Quid pondera ferre recuſo,
Quæ modò tot votis optat anhelus Amor?
Ille quidem noſtri ſic ſuſpiravit amore;
Cauſaque, cur lignum poſceret, ipſe fui.
Nos tamen averſi, votis opponere vota
Pergimus, & propriis velle carere bonis.
Quid moror? exemplo venit mihi robur ab illo,
Jam potero quævis, jam volo dura pati.
Aſpera ſit, magnoque minax ſe pondere jactet,
Crux humeris impar non erit ulla meis.

ELEG. XVI. *Amor crucem portans.*

FErales crepuere tubæ: concurrite amantes;
Ducitur ad metam, quam ſibi fixit, Amor.
Ducitur, & laceris ſua funera tollere membris
Cogitur: ecce humeris ſarcina quanta jacet!
Vulnera, quæ plagâ nondum coïere recenti,
Nunc iterum toto tergore rupta fluunt:
Fixaque perpetuo circum caput ordine ſpina,
Acrius impactis ſævit acuminibus.
It tamen; exhauſtas revocans in pectora vires,
Utque poteſt, molem poſt ſua terga trahit.
Illa ſolo ſerpens, ſubjectam inſcribit arenam,
Et miſerum, ducto limite, ſignat iter.
Sudat Amor; tardoque movens veſtigia paſſu,
Vix animam, nimiâ mole gravatus, agit.

Digitized by Google

Cernis, ut incaluit vultus, ſalſuſque per ora
    It liquor, effuſis ut fluit imber aquis?
O! quoties ſtimulo greſſum celerare coactus,
    Saucius exſtantes reſtitit ad ſilices!
Spinaque per cæſas non obſervata ſalebras,
    Vulnera nudatis fixa dedit pedibus!
En ut humus rubeat: quoquo veſtigia vertit,
    Exhibet impreſſas ſemita longa notas.
Sæpè fatigatus, vires reparare morando
    Nititur, atque aliquo ponere membra jugo.
Increpat à tergo miles, fruſtraque precantem
    Inceptâ prohibet lentius ire viâ.
Heu! quid agat? Jam genua labant, jam poplite terram
    Sæpè ferit, tactâ vixque reſurgit humo.
Fallor? an & vultu ſpecies antiqua recedit?
    Rarus anhelanti ſpiritus ore venit.
Deficit ô! nimioque fatiſcens pondere corpus,
    In terram pronis corruit articulis.
Sic ego purpureum vidi procumbere florem,
    Quem matutinæ ſparſerat humor aquæ:
Principio madido nutabat vertice collum,
    Pendebantque graves imbre premente, comæ;
Dum tandem effuſo dimiſſus ab æthere nimbus
    Ingruit, & croceis ſtravit humum foliis.
Sic quoque paulatim flexâ cervice fatiſcens,
    Procubuit nimio pondere preſſus Amor.
O Amor! ô virtus! ô magna potentia cœli!
    Quis poterit tanto ſtare cadente Deo?
Hiccine, labentem digito qui ſuſtinet orbem,
    Et vaga, non fictus, ſidera fulcit Athlas?

Hic-

Digitized by Google

Hiccine, qui vaſtos frangens ad littora fluctus,
Continet infirmis æquora limitibus?
Hiccine, qui ventos, terrâque marique furentes,
Longius imperio non ſinit ire ſuo?
Vis ubi nunc illa eſt? Ligno collabitur uno,
Et ſpeciem corpus deficientis habet.
Infelix! cur nota peto? Nil, futile lignum
Hoc habuit, tantus quo premeretur Amor.
Nam, cur diſſimulo? mea ſunt hoc crimina lignum,
Cauſaque congeſti ponderis ipſe fui.
Hoc onus incubuit divinis artubus impar:
Et cumulamus adhuc pondera ponderibus?
Certè ego ni rabidos vincam quoque pectore tigres,
Non potero culpâ tam ferus eſſe novâ.
Sed potius ſtultæ flebo commiſſa juventæ,
Imbre per humentes uſque cadente genas.
Quodque licet noſtro ſcelerum de pondere demam,
Crux levior Domino fiat ut illa meo.
Fallimur? an cœpit durum molleſcere robur?
Jamque minus tantâ mole gravatur Amor?
Quidquid id eſt: redit ore color, membriſque levatis
Conſtitit, erecto rurſus, ut ante, genu.
Atque humeros iterum trunco ſubjectus eidem,
Fortiùs impoſitum ferre videtur onus.
O benè! Sed ſupereſt cœpto via longa labori;
Quis precor hîc partes auxiliantis aget?
Unus, & hic aliâ veniens de gente colonus,
Cogitur admotâ tollere ligna manu.
Nil agis, auxilio non utitur ille coacto;
Creſcit ab invito, non relevatur onus.

Digitized by Google

Fas mihi ſit potiùs cupidas ſupponere palmas,
Atque gravem collo ferre volente trabem.
Junctus Amor pennas moli ſubnectet inerti,
Et ſocius partem de gravitate geret.
Aut ſi non liceat ſacro ſuccedere trunco,
Totaque crux ſoli ſit ſubeunda Deo.
Ipſe feram poſt terga meam, ſociuſque laboris,
Quà licet, exemplo nitar adeſſe meo.
Inque vicem adjutus, majoris imagine pœnæ,
Quâlibet audebo fortiter ire viâ.
Non mihi tunc ſpinæ, non aſpera ſaxa nocebunt,
Saxa prius Domini ſanguine tincta mei.
Non ſi purpureo ſignetur limite rurſus,
Et rubeat noſtro ſanguine pinguis humus.
Nec metuam, fallente gradu, procumbere terrâ,
Quoque prior jacuit ipſe, jacere loco.
Hac iter ad metam eſt; ubi, curſu fortiter acto,
Excipiet feſſos non abitura quies.
Quoſque labor junxit, facti quoque gloria junget;
Res modò ſit votis non minor ipſa meis.

ELEG. XVII BIPARTITA. *Amor crucifixus.*

PARS I.

HÆc quoque conſueto rides ſpectacula faſtu,
O anima, ô! ſcopulis durior æquoreis?
Pectora ſi fractis nequit pertundere telis
Omnibus, exhauſtâ nudus Amor pharetrâ;
Si neque jactatis duxti ſuſpiria tædis,
Et fruſtrà admotæ non tetigere faces;

At

Digitized by Google

At juvet, amiſſis animam ſuperaddere flammis,
  Cumque ſuis vitam perdere muneribus.
Aſpice, ferali ſublimis ſtipite pendet:
  Huc, puto, ſe pennis ſuſtulit ipſe ſuis.
Aurea lividulas terebrarunt ſpicula palmas,
  Truncatiſque pedes fixit arundinibus;
Illis, quas toties in te ſine vulnere miſſas,
  In Domini tandem corpore ſtare vides.
Quid fugis? An laceri ſpecies percellit Amantis,
  Quique fluit læſis ſanguis ab articulis?
Parce metu: nihil hîc etiam tibi triſte minatur,
  Sed ſolitis ſponſam provocat illecebris.
Cernis? ad amplexus ulnis invitat apertis,
  Et petit expaſſis oſcula brachiolis.
Nutat adhuc vertex; oculiſque loquacibus ardens;
  Extremis gemitum ducit anhelitibus.
Vox quoque blanditur non una; tot oribus ignes
  Argutat, quot hiant vulnera corporibus.
Et quamvis minio faciem non pinxit Ibero;
  Nec lymphâ crines imbuit Aſſyriâ.
At madido fuſi ſtillant è vertice rores,
  Et color eſt circum tempora purpureus.
Nec capiti deſunt inſignia, cultus Amantis
  Si quæris, cur ſint ſpinea ſerta? Roſas
Ante tibi tulerat, Rhodiiſque reverſus ab hortis,
  Nequidquam totis venerat areolis.
Omnibus extremùm moriturus amoribus inſtat,
  Et lacer antiquis militat illecebris.
Qualis, ubi magnum texerunt nubila ſolem,
  Flamma tamen ruptis exilit è nebulis:

Qualis & inductо cum flos ſuccifus aratro ,
Languida ſubjectâ colla reclinat humo,
Lucet adhuc trepidans collapſis in violis ros ,
Et color in croceis ſubrubet exuviis.
Talis in exſangui morientis corpore, ſparſa
Argutis remanet gratia blanditiis.
Tu tamen obduras, ſeu ſanguinis allicit imber ,
Seu rigidam caſtæ ſollicitant veneres.
Nil etiam tanget qui jam, ſuprema futura
Munera, defectis artubus egreditur
Spiritus, éque labris eductus hiantibus oris ,
Deſerto profugam corpore perſequitur.
Aude age, & extremis ſingultibus expirantem ,
Si potes, immotis aſpice luminibus.
Non potuit Titan, averſaque lumina condens,
Dicitur adductas oppoſuiſſe manus.
Non Phœbe, non ſtella poteſt Erymanthidos urſæ,
Non ferrugineis vultibus Oarion.
Luget & extinctum tellus, ſubjectaque planctu
Reſponſat mœſtis vallis Hamadriaſin.
Vos liquidi fontes, vos flumina collacrymatis,
Et calidis undas volvitis alveolis.
Ipſa etiam poſito rumpuntur ſaxa rigore ,
Deciduiſque fluunt humida lacrymulis.
Ipſe etiam tumulis manes tanguntur apertis ,
Aridaque inſuetis fletibus ora rigant.
Tu terris immobilior, tu vallibus adſtas
Surdior, & duris cotibus aſperior;
Frigidiorque riges fluviis, & ſiccior umbris,
Sævitiæ præfers nomina mille tuæ.

Si

Si dubitas, utrum totus de corpore pulſus
  Spiritus, ipſa tuâ corripe tela manu;
Adverſoque novum figens ſub pectore vulnus,
  Eductum totis ejice viſceribus.
Et facis: icta patent ferro præcordia: & ecce
  Fons geminus ruptis exiliens icatebris,
Alter agit venam tibi ſanguinis, alter aquarum
  Verberat effuſis aëra vorticibus;
An potius lacrymis, quas externata repulſis
  Sæpè tuis quondam pectora combiberant?
Fallor? An ut propior vulnus latura ſubibas,
  Depluit in vultus imber uterque tuos?
Et jam purpureum pariter, licet ipſa recuſes,
  Sanguinei ſpeciem corpus Amoris habet?
Duritiemque ſuam ſtillantia lumina plorant,
  Facta ſed alterius humida de lacrymis?
O bene! ſi propriis etiam manantia guttis,
  Incipiant junctis currere fonticulis!
Surgat & exiguum de pectore murmur anhelo,
  Et leviter motis perſonet in labiis!
Plus aliquid non poſcit Amor, gemituque vel uno
  Gaudebit campis lætus in Elyſiis.
Tum vero ſi vox etiam non dura ſequatur,
  Et tenui tantum murmure dicat, Amo;
Jam cupiet fuſum tibi fundere ſæpè cruorem,
  Atque novis vitam ponere vulneribus.

Amor

Digitized by Google

Amor crucifixus

PARS II.

VIcimus: invito ſurgunt ſuſpiria corde,
Perque genas imber volvitur humidulas.
Et modò pendentem madidis aſpectat ocellis;
Et modò ſanguineis pallet in articulis.
Nunc etiam curſu petit infelicia ligna;
Nunc iterum pictâ reſtitit in ſoleâ.
Jam legit effuſum lacero de corde cruorem,
Et bibulo guttas excipit in ſtrophio.
Jam, velut ambigeret, num quis ſuper halitus eſſet,
Aut calor occultis viveret indiciis;
Sæpè manu tremulâ liventia membra retractat,
Molliter impreſſis experiens digitis.
Aut ſuperincumbens, quantum contingere corpus
Altior extremis trabs patitur labiis;
Ore fovens inhiat, vitamque vocare morantem
Flammeolis inſtans nititur halitibus.
Tum verò ut penitus frigentia corpora ſenſit,
Nec potis eſt calidis anxia ſpiritibus,
Dilectam revocare animam, notat ora, genaſque
Unguibus, & planctu pectora nuda quatit;
Dum crebris tandem ſingultibus interrupta,
Ad Domini ſurdas hæc dedit auriculas.
Ergò ego vel ferrum, vel ſi quid durius illo,
Tam longâ potui vincere ſævitiâ?
Omnia cum blandis videam concedere telis,
Sola ego ſum dirâ ſubjicienda nece?

Ah

Digitized by Google

Ah quanto melius poteram ſine ſanguine vinci,
Et ſolis formæ cedere blanditiis!
Lumina ſplendebant, & erat certamen, an illis
Ureret, accenſis ureret an facibus.
Aureus in niveâ ludens cervice capillus,
Orbibus ambibat tempora tortilibus.
Nix ſuberat collo, pictiſque coralia labris;
In reliquo vultu mixtus uterque color:
Ut quando madidâ reſolutis fronte corollis,
Lapſa natant pateris lilia purpureis.
Cætera, cygnæas niſi quod ſuſpenderat alas,
Fulgebat crocinâ candidus in tunicâ.
Quid memorem riſuſque leves, nutuſque loquaces,
Oraque ſæpè meâ pallida nequitiâ;
Eloquiumque fluens Pactoli dulcius undis,
Verbaque Cecropiis edita corticibus?
Addidit & lacrymas, & verba precantia dixit,
De tanto ſupplex Numine factus Amor.
Tot tamen illecebris, tot dotibus obluctata,
Me miſeram! titulum mortis habere tuæ
Optavi, mea Lux; potui terebrata videre
Pectora, & ipſa meâ vulnera facta manu.
Figite me clavi, me ſpinea pungite ſerta.
Hîc ſcelus eſt, hîc hîc ſumite ſupplicium,
Dura quid ulterius, quid barbara jure vocata,
Longiùs æternâ differor invidiâ?
Omnia mî rapto faciunt convicia Amore,
Omnia nativis ignibus orba ſtupent.
Camporum decor interiit, ruriſque voluptas,
Strataque collapſis frondibus herba jacet.

Pro-

Digitized by Google

Procubuere ſolo defecto caudice flores,
  Lignaque ſtant nudis mœſta cacuminibus.
Non volucres pennis plaudentibus aëra carpunt;
  Non pecus aſſuetis luxuriat choreis;
Non ſaliunt fontes, medioque hærentia curſu
  Attonitis ſtagnant flumina Naïaſin.
Sidera, ſublustri vix ſcintillantia flammâ,
  Non niſi funereis æmula ſunt facibus.
Non, non communi poſſum ſupereſſe ruinæ.
  Me rapiat, quo ſunt omnia rapta, dolor.
Vivere ſi tecum, mea Lux, ingrata negavi,
  Fas tecum ſaltem ſit mihi poſſe mori.
Vos, precor, infauſtâ proſtrata ſub arbore tela
  Figite jam totis corpus arundinibus.
Ictus erit ſolito levior; quod geſſerat antè
  Jam ferrum pectus, ſaxaque depoſuit.
Sed quid hebent acies, & vulnera ferre recuſant?
  An retudi duris ſpicula viſceribus?
At ſupereſt arcus: nervus mihi debitus hic eſt:
  Hic poterit junctis tollere ſuppliciis.
Aut hoc, ſi renuat, ligno nos alliget uni,
  Et validis ambos nexibus impediat;
Dum fuſo ſaltem reddens pro ſanguine fletus,
  Non intermiſſis commoriar lacrymis.
Dixit, & implicitis circumdans brachia palmis
  Hæſit, ut appoſitis vitis in arboribus,
Quæ circum variis amplexibus irretita,
  Alligat innexis robora capreolis.
Collige te, vitamque tuam, mœſtiſſima Virgo,
  Differ adhuc paucis ponere Luciferis.

Vivet

Vivet Amor, mihi crede, tuus; rurſumque renaſcens
  Jam poſitis aderit pulchrior exuviis.
Qualis thuriferis Phœnix redivivus in oris,
  Surgit odoratis aureus è tumulis.
Jamque per aërios tractus chorus omnis Amorum,
  Frænatis gaudens fertur in alitibus;
Victorique Deo geminos aurigat olores,
  Fertque coronandis laurea ſerta comis.
Forſitan in partem quoque tu ventura triumphi,
  Stabis myrtigenis cincta caput foliis:
Pompaque nominibus celebrabitur una duobus,
  Communiſque tibi plauſus Amoris erit.

LIBER IV.

Amor triumphans.

Læta cano: procul hinc lacrymę, gemituſq; recedãt,
  Hic liber albenti pumice raſus eat.
Candida mutatâ pingantur cornua fronte,
  Lætitiæ cultu conveniente ſuo.
Gaudia, quæ moriens Amor abſtulit, ipſe reduxit,
  Conſurgenſque ſuo reddidit è tumulo.
Reddat, & hâc noſtri non deſit parte laboris,
  Dum meus extremo limite ſudat equus.
Ipſe novas tribuat renovato corpore vires,
  Cumque ſuo quartum Numine ſurgat opus.

ELEG.

Digitized by Google

ELEG. I. *Amor redivivus.*

DEſine præteritos, fera Mors, jactare triumphos:
Omnia qui vicit, te quoque vicit Amor.
Ille quidem voluit ligno ſublimis in alto,
Tantiſper ferro ſuccubuiſſe ſuo;
Sed malè contortum rediit de pectore telum,
Hæſit, & in dominâ cuſpis adacta ſuâ.
Inde jaces, populoſque diu graſſata per omnes,
Vulnera, quæ dederas, cogeris ipſa pati.
Aſpicis, ut tumulo vivens inſultat in ipſo,
Victrici reſerans ſaxea clauſtra manu?
Scilicet includi non ſuſtinet ignis, Amorque,
Quóque magis premitur, fortius intus agit;
Objectaſque vibrat moles, magnoque fragore
Verberat effractis aëra carceribus.
Sic Amor erumpit tumulo, non ut levis umbra,
Aſſumptâ mendax fertur in effigie:
Sed vero veniens in corpore, & artubus îſdem,
Antè quibus celsâ de trabe fixus erat.
Sed neque præteritæ retinet veſtigia cædis,
Luridus exſangui fugit ab ore color.
Priſtina lux vultu, pulſo ſquallore coruſcat,
Et vigor, & tanto debita forma Deo.
Cernis, ut emicuit? Jam ſe formoſior ipſo
Adſtitit; inſolitum fulgurat ore jubar.
Sic ubi ſanguineâ pictum ferrugine vultum
Condidit Heſperiis Phœbus anhelus aquis,
Pulchrior Eoïs ſurgens aſcendit ab undis,
Et radios flammæ lucidioris agit.

Cuncta

Cuncta vigent, veniente Deo, ſenſiſſe putares
  Auctorem mundo rurſus adeſſe ſuum.
Ante diem Zephyrus rorantes explicat alas,
  Et mulcet tepidis omnia flaminibus.
Fugit hiems, pigrumque gelu, nivibuſque ſolutis
  Diſſilit effuſo terra benigna ſinu.
Ridet ager, valleſque cavæ, monteſque ſupini,
  Exultant tremulis roſcida graminibus.
Creſcit honor ſilvis, ſpoliataque frondibus arbor
  Incipit ornatu luxuriare novo:
Perſonat in ramis, pendens è fronde cicada,
  Et matutinis obſtrepit alitibus.
Nempe reviviſcens, vitalia ſemina ſecum
  Fert Amor; hinc vigor eſt, hinc nova vita fluit.
Quin etiam manes tetigit vis illa ſepultos,
  Nec potis eſt cineres urna tenere ſuos:
Oſſaque lactantur, caveis ſaxiſque revulſis:
  Funereas linquunt corpora viva domos.
His Amor inſignis ſpoliis, pompâque ſuperbus
  Victor, Idumæis finibus ingreditur.
Ponè ſubit Libitina, manus poſt terga revincta,
  Nunc etiam causâ pallida facta novâ.
Hinc illinc teneri paſſim glomerantur Amores,
  Illudens furvæ candida turba Deæ.
Hic telum extorquet; vacuâ volat ille pharetrâ,
  Et ridet gelidas nil valuiſſe manus.
Pars furit in pennas, & aduncâ falce reciſas
  Dat prædam rapidis ludibriumque Notis.
Illa ſilet, variſque movens veſtigia plantis,
  Victorem ſequitur lurida Diva ſuum.

Plaudite

Plaudite mortales, obnoxia corpora letho,
Dedecus hoc vobis abſtulit ultor Amor.
Ante ſuo noſtrum delevit ſanguine crimen,
Dum Deus è ligno triſte pependit onus.
Nunc etiam pœnam, devictâ morte reſurgens,
Suſtulit, ex omni parte Redemptor Amor.
Illa quidem fractas reparabit ſaucia vires,
Auſa necaturâ ſpargere tela manu:
Sed ſuperata ſemel, totum non perferet ictum,
Nec faciet tenebras ſine carere ſuas.
Tempus erit, cum victor Amor, tumulata ſepulcris
Eruèt, & luci corpora noſtra dabit.
Tum vero æternis Libitina coërcita vinclis,
Hærebit furvo, non reditura, lacu.
Hæc ego vaticinor, non præpetis omine pennæ,
Non ovium fibris, viſceribuſve boum.
Augurium Deus eſt, cujus ſurgentis imago
Norma venit vitæ, principiumque novæ.
Felix! cui dabitur ſimili ſplendeſcere vultu,
Et Domini formam poſſe referre ſui.
O! ego tunc numero veniam ſpectandus in illo,
Parſque ferar turbæ, cui comes ibit Amor.
Hoc duce, perpetuò fugient de corpore curæ,
Et dolor in ſtygias omnis abibit aquas:
Vitaque ſuccedet melior, pulſiſque tenebris
Candidior ſemper candidiorque dies.

ELEG. II. *Amor hortulanus.*

QUid gemis, & teneros fletu corrumpis ocellos,
O mulier luctu flebilis ipſa tuo!

Vivere

Vivere quem malles, tumulo cur quæris in illo?
  Cur, quod abeſſe cupis, non reperiſſe doles?
Votũ in amante novũ eſt: optas, quod adeſſe doleres;
  Et quod non velles obtinuiſſe, petis.
Dic mihi, jam manibus ſi livida membra teneres,
  An ſatis hac unâ parte placeret Amor?
Tertia jam cælo, clamares, reddita lux eſt;
  Ecce rubent radiis culmina purpureis:
Et nondum veteres redeunt in corpora vires.
  Nondum divinus ſpiritus intus agit.
Spes ubi promiſſi eſt? Num forſan inanibus umbris
  Ludimur, & nimiùm credula turba ſumus?
Nunc igitur vacuo potius lætare ſepulchro;
  Et Dominum victâ vivere morte, puta.
Omnia ſpem faciunt; emotum cardine ſaxum;
  Et tremulum, nullo concutiente, ſolum;
Luxque micans caveis; & reddita verba ſub auras:
  Quid vivum in tumulo quæris, inepta, Deum?
Nil agimus; nec ſigna movent, nec verba coërcent:
  Abripit impatiens & ſine mente dolor.
Jam redit ad tumulum, jam pendula rurſus in antrũ
  Proſpicit, & lacrymis concava ſaxa rigat.
Jam, quaſi conſpectum fletu perfuſa negarent
  Lumina, deterſis inſtat amans oculis.
Nunc iterùm ſurgens vicinum reppetit hortum,
  Et queritur ſurdis Magdalis arboribus.
Dicite (vos etenim potuiſtis cernere, ligna)
  Dicite, quis Dominum ſuſtulit inde meum?
Ibo, & femineis extorquens furta lacertis,
  His humeris artus ad loca tuta feram;

Unguentiſque replens & ſuaveolentibus herbis,
Adjiciam lacrymas, ultima dona, meas.
Plura parabat amans; ſed Amor non pertulit ultra,
Et prope non notâ conſtitit in ſpecie,
Omnia ruricolæ ſimilis, qui ſole rubente
Venerat heſternum reppetiturus opus.
Reſtitit aſpectu mulier; mirataque formam,
Cur placeat neſcit, ſed tamen ipſa placet.
Ardet amans, nec cauſa ſatis ſe prodit amoris.
Æſtuat, & flammas non capit ægra ſuas.
Jamque dolor minor eſt: diſcedunt nubila fronte,
Et color invito lætior ore redit.
Non tamen agnoſcit, ſed imagine luſa coloni,
De Domino rurſus quærit, ut ante, ſuo;
Dum miſerans tandem verbo ſe prodidit uno,
Et ſimul in multâ luce refulſit Amor.
Illa ſtupet, notiſque in vultibus hæret anhela;
Vixque animam, ſenſu deficiente, trahit.
Incipit effari, primâque in voce reſiſtens,
Plura nequit Domino reddere verba ſuo.
Adderet amplexus; ſed Amor contingere corpus
Non ſinit, & cupidas ſubmovet inde manus.
Quid, bona, turbaris? Nil fert hæc triſte repulſa,
Sed monet, ut poſthac, ſicut oportet, ames.
Ille quidem, humanis indulgens moribus, olim
Non vetuit ſacros tangere poſſe pedes.
At nunc depoſito, quod erat mortale, recuſat
Oſcula, non ſolis quæ coëunt animis.
Tempus erit, cum corporeâ contage ſolutâ,
Non alio cupies tu quoque amare modo.

Oſ-

Oſculaque, hinc illinc quæ corda tenacia jungunt,
Omnibus optabis præpoſuiſſe bonis.

Eleg. III. *Amor peregrinus.*

En iterum falsâ ſub imagine ludit amantes,
Fitque viæ ſocius, de tribus unus, Amor.
More viatorum medios ſuccinxerat artus,
Inque manu dextrâ ſtipes acernus erat.
At faciem verſo mutarat callidus ore,
Verbaque conſuetos non habitura ſonos.
Sic Deus accedens, dictiſque exorſus amicis,
Accipit aſſuetum datque, ſalutis Ave.
Tum quaſi miratus, quod erant turgentia fletu
Lumina, & immiſſæ mœſta per ora comæ;
Ecquis ait, juvenes, torquet præcordia luctus?
Nam video, lacrymis immaduere genæ.
Dicite. Sæpè dolor, cum proditur, exit in auras;
Ipſe etiam partes fortè medentis agam.
Perculit attonitos vox libera, non tamen auſi
Ignotum contra durius ire virum;
Namq; aliquid, quod nec ſpecies, nec lingua ferebat,
Jam nunc pectoribus ſenſit uterque ſuis.
Ergò palam faſſi, cæſum cauſantur Amorem,
Et tres in tumulo delituiſſe dies,
Illum; qui fuerat regnum aſſerturus avitum,
Dempturuſque gravi libera colla jugo.
Hinc omnem cecidiſſe fidem, promiſſaque dudum
Otia præcipites diripuiſſe Notos.
Plura locuturos torvo Deus increpat ore,
Et rerum ignaros, duraque corda vocat.

Quæ, precor, exclamat, mentem veſania vertit?
Siccine divinis creditur eloquiis?
An venit ad culmen, qui non prius ardua calcans
Saxa, per extantes reptat hians obices?
Quis palmā meruit ſine ſanguine, quiſve triumphum
Non ullo quondam vulnere læſus agit?
Credite; non alio ſtat pignore gloria; ad illam
Qui tendit, per idem tendere debet iter.
Hinc quoque multa pati, duriſque aſſueſcere rebus
Debuit, ut regnum victor adiret Amor.
Si res in dubio eſt, Vatum monimenta priorum
Volvite, plus lucis pagina ſacra dabit.
Dixit, & excutiens oracula priſca virorum,
Principium magno duxit ab Abramide.
Inde recenſendo reliquos ex ordine Vates,
Mille fidem claris roborat indiciis.
Latius interea ſerpebat flamma, faceſque
Tot Deus addebat, quot modò verba dabat.
Ardebant pariter, nec anheli pectoris æſtum
Jam poterant vultu diſſimulare ſuo;
Cauſa tamen radixque latet, nec cognitus auctor
Gaudia pectoribus ſurgere plena ſinit.
Dum loquor, occiduum Phæbo ſubeunte cubile,
Heſperus Eois proſpicit è thalamis.
Hora viros properare jubet, vel tendere retro,
Quáque ierant, celeri rurſus abire gradu.
Quid facerent? Non magna quidem jactura videtur
Tunc primùm viſum deſtituiſſe virum.
Sed tenet invitos doctæ facundia linguæ,
Atque aliquid, quo ſe poſſe carere, negant.

Ergò

Ergò ſalutantem comites, & abire parantem
Longiùs, injectâ prenſat uterque manu:
Vicinoque rogant ſecum ſuccedere tectò,
Et leviter ſumpto membra levare cibo.
Ille fugam ſimulans, & terque quaterque retractus,
Vix tandem junctis tecta ſubit manibus.
Ah! ſatis illuſum eſt; quid Amor tua gaudia differs?
Ipſe vides, jam nunc alter, & alter amat.
Eripe nigrantem circum pia lumina nubem,
Ut quod amat, certâ poſſit amare fide.
Facta cano. Stratâ ponuntur fercula menſâ,
Et Cererem geminâ corripit ille manu.
Dumque tenens mediam frangit (mirabile dictu)
Protinus ex oculis nubila victa cadunt.
Agnoſcuntque Deum ſocii, redivivaque cernunt
Corpora, & acceptis libera vulneribus.
Felices epulæ! nulliſque ſecunda priorum
Fercula, ubi ſeſe tam bene prodit Amor!
Si non tota gravant unctas patrimonia lances,
Nec levat inſanam gemma ſoluta ſitim;
At conviva recumbit Amor, panemque miniſtrans,
In dapibus præſens noſcitur ipſe ſuis.
Plaudite Chriſtiadæ, ſacriſque aſſueſcite menſis.
Nunc etiam vobis non minor eſca datur.
Parva Ceres rurſum manibus mutatur iiſdem,
Convivaſque ſuo corpore paſcit Amor.
Si ſecus, ac olim, Deus hic ſpectabilis eſſe
Deſiit, & niveo tectus in orbe latet;
At ſincera fides, & fallere neſcia lingua,
Quem non eſt oculis cernere, mente facit.

His ego luminibus convivia ſacra frequentem,
Sitque comes pietas, ingenuuſque pudor.
Non modo tunc animo ſpectare licebit Amorem
Et Dominum, parvo frugis in orbe, meum;
Sed guſtare Deum dabitur, penituſque medullis
Inſertum, caſtis jungere baſiolis.
Tunc licet Arctoo ſtupeant mihi frigore membra,
Totaque ſe circum pectora fundat hiems;
Ilicet enatæ ſurgent hoc fomite flammæ,
Quodque gelu fuerat, protinùs ignis erit.

Eleg. IV. *Amor ſe palàm manifeſtans.*

Dicta fides ſequitur, turbâ ſpectandus in amplâ
Siſtitur, haud ultrà diſſimulatus, Amor.
Hei mihi! mutati pallent formidine vultus,
Atque vacillantes intremuere pedes.
Unde repens metus hic? ſic umbras nocte timemus,
Non autem claro corpora vera die.
Cernitis, Iſacidæ, notæ diſcrimina formæ,
Sidereos oculos, purpureaſque genas?
Vox quoque conveniens verbis blanditur amicis,
Pacificumque ſonat Pax memorata Deum.
Ille quidem ſubitò, foribus non ante recluſis
Adſtitit, & ſtrepitum non faciente gradu:
Sed Deus eſt, & Amor. Quid non penetrabile utriq;?
Invenit occultas ignis Amorque vias.
Cum Puer ad cæli venit ſpirabile lumen,
Virgineos ſcitis non temeraſſe ſinus.
Cur neque jam tabulas pervadere poſſit acernas,
Ut ſubit immiſſum vitrea ſepta jubar?

Digitized by Google

Addite mutatos redivivi corporis artus.
    Ecce novum rutilo funditur ore decus.
Durities etiam, ſi quæ fuit antè, receſſit;
    Naturamque levem mobile corpus habet.
Sed quid opus verbis? Jam res manifeſta patebit:
    En Deus extenſas porrigit ipſe manus.
Tangite, & impreſſis carnem cognoſcite dextris,
    Aptaque juncturis oſſa notate ſuis.
Materiâ certè non conſtat ſpiritus illâ,
    Maſſa ſed hæc veri corporis eſſe ſolet.
Statis? & ambiguæ remanet ſententia menti?
    Altera ſuſpenſis jam quoque ſigna dabo.
Dixerat; utque latus dempto patefecit amictu,
    Conſpicuum medio pectore vulnus erat:
Perfoſſoſque pedes, manuumque foramina ſignans,
    En, ait; en fidei pignora certa meæ.
Sic mortem ſubii, ſic vivere rurſus Amorem
    Cernitis, inque ſuo corpore adeſſe Deum.
O duræ nimiùm mentes! Pars neſcia flecti,
    Hæret adhuc dubiis anxia luminibus.
Viſa quidem recreant, pulſoque timore voluptas
    Incipit emotis ſurgere viſceribus:
Sed nondum penitus mens, in diverſa relabens,
    Subditur; ancipitem ſpeſque timorque rapit.
Ergo iterum tentare libet; conviva ſedere
    Vult Amor, & poſitas ſumere, ut ante, dapes.
Dumque capit, nova lux oculis affuſa videntûm
    Eximit affectus cordibus ambiguos.
Jamq; hominem faſſi, tectum quoq; Numē adorant,
    Pluſquam luminibus credula turba ſuis.

Jam nimios damnare metus, veniamque precari,
Et manibus notos ſtringere velle pedes.
Pars etiam pæana canit; laquearibus altis
Vox redit, acceptos ingeminatque ſonos.
Felix! qui potuit coram cognoſcere Amorem,
Totque Deum ſignis cernere conſpicuum.
Cur mihi temporibus non vivere contigit illis?
Cur non tam certis credere poſſe notis?
Plus oculis certè ſubjecta fidelibus urunt,
Quam quæ ſola vetus ſuggerit hiſtoria.
Quid tamen hæc voveo? Sunt & ſua lumina cordi,
Eſt pia credulitas, eſt benè firma fides.
Hac ego ſpirantem poſt funera luce videbo,
Et dicam, victâ vivere morte Deum.
Hac ego conſpiciam palmæ monimenta relatæ,
Miraborque ipſis vulnera pulchra locis.
Præcipuè latâ quod hians ſub pectore plagâ,
Aptius eſt flammas ſollicitare meas.
Hîc ego cognoſcam quidquid pro ſtirpe nefandâ
Pertulit, aut noſtri fecit amore Deus.
Huc ego, ſi quando ſcelerum terrebit imago,
Confugiam ſupplex, & mea vota feram.
Hinc vires, & tela petam, cùm bella movebit
Tartarus, & nigris ingruet agminibus.
Denique cùm noſtri langueſcere pectoris ardor
Cœperit, & tantum frigidus eſſe cinis;
Hoc ego ſopitas accendam fomite flammas,
Contemplans Domini ſaucia corda mei.
Sic nova perpetuis ſurgent incendia curis,
Et ſemper vulnus vulneris auctor erit.

Digitized by Google

ELEG. V. *Amor officium ſuum transferens.*

ASTra vocant, vixque ipſe ſolo jam mobile corpus
Fert Amor: invitum pigra moratur humus.
Ante tamen, mandata ſuis ſuprema daturus,
In medio rurſum conſpiciendus adeſt;
Selectamque manu ſignans oculiſque catervam,
Sic expectatos edidit ore ſonos.
Vos ego de multis pridem legiſſe recordor,
Officii ſocios participeſque mei;
Nunc etiam mihi ſubſtituo: vos ſumite clavum,
Et notâ puppim per mare ferte viâ.
Ipſe ego de cælo ventos in carbaſa mittam,
Et faciles curſus auxiliumque dabo.
Ite: feros populos noſtris miteſcere flammis
Cogite, & ignoto ſubdere colla jugo.
Ipſe meas ideò vobiſcum divido vires,
Et quidquid feci, vos quoque poſſe volo.
Pellite corporibus morbos, & languida membra
Antiquis iterum reddite muneribus.
Sed magis infirmis incumbite mentibus; illas
Fas etiam vinclis exonerare ſuis.
Si modò pœniteat factorum, errataque vitæ
Non vetet ingenuâ prodere voce pudor;
Sint numero, ſint mole graviſſima, nulla manebunt,
Quæ fuerint verbis ritè ſoluta meis.
Nec ſemel hæc tantum donanda piacula lapſis,
Sed quoties verus proferet illa dolor.
Scilicet ut metam ſibi ponere neſcit, & uſque
Indulgere cupit commiſeratus Amor:

Sic

Digitized by Google

Sic vos, auſpiciis qui crimina ſolvitis iiſdem,
In miſeros faciles non decet eſſe minus.
Odi ego cenſores nimis hac in parte ſeveros,
Aſperaque in trepidos verba vibrata reos.
Quamvis & juſto major clementia peccat,
Et mala parcendo deteriora facit.
Inter utrumque licet tuto procedere calle;
Sic tamen ut paulo plus ſibi ſumat amor.
Ille memor, fragiles humanos cogitet artus,
Diſcat & exemplo mitior eſſe ſuo.
Ille ſciat, parvo verti molimine mentes,
Ut rapit inſtabiles ventus & unda rates.
Addat & illecebras, & ſemina mille malorum
Ad crimen ſtimulis ſæpe movere novis;
Atque ita, qui culpam verè nunc oderat omnem,
Rurſus in antiquum poſſe redire ſcelus.
Hæc & plura prius trutinâ ſi penditis æquâ,
Sæpe licet lapſus, ſæpe juvandus erit.
Nec veniâ indignus, niſi qui ſe fecerit ipſe,
Duritiæ præbens pignora certa ſuæ.
Sed neque ſuppliciis fas hic enormibus uti,
Aut punire ſuprà quàm meruere rei.
Pars pœnæ dolor eſt; pars eſt delicta fateri,
Et medico nudum proſtituiſſe latus.
Tertia jungenda eſt, ſed eget moderamine certo,
Ne gravior culpâ pœna ſit ipſa ſuâ.
Denique judicium ſic exercere juvabit,
Ut ſimul & partes quiſque medentis agat.
Sunt mala quæ ferro tantum curantur & igni;
Eſt etiam molli plaga fovenda manu.

Quid

Quid proſit, ſpectare decet, medicandaque ſemper
Vulnera, quo melius ſunt medicanda modo.
Dixit; & inſpirans divinam adſtantibus auram,
Seque, ſuiſque viros dotibus implet Amor.
Chriſtiadæ gaudete, manet placabile munus,
Perpetuumque Deus reddidit illud opus.
Quod fecere patres, poſſunt præſtare minores,
In quos officium tranſtulit auctor idem.
Ut grave ſit ſcelerum pondus, repetitaque ſæpè
Crimina, nil urna hæc, quod timeatur, habet.
Tantũ opus in tempus mentẽ obfirmare futurum,
Et gemitum læſis ducere pectoribus.
Tu quoq;, quem penes eſt animi cognoſcere cauſas,
Hîc Domino noli durior eſſe tuo.
Ne rigor abripiat nimius; ſed voce paternâ
Excipiat pietas, admoneatque reos.
Exulet hinc atrox aut Æacus, aut Rhadamantus:
Calculus infernis vertitur ille locis.
Mitius in ſuperis voluit Deus eſſe tribunal,
Et tabulam fracto tradere navigio.
Tu cave, ne ſcopulum facias; perdaſque repulsâ,
Quos poteras verbis aſſeruiſſe tribus:
Neu portare jube, colloque ſubire caduco,
Quod nolles digito forte movere tuo.
Si facis, ipſe ſimul legem tibi ſcribis eandem,
Ut ſubeas, quod vis, ut ferat alter, onus.

ELEG. VI. *Amor in cælum aſcendens.*

UNde repentè novum diffunditur æthere lumen,
Et ſolitò cœpit clarior ire dies.

Cur

Digitized by Google

Cur etiam niveis fulgens exercitus alis,
  Aëra feſtivis pervolat ordinibus?
Fallor? An & ſpeciem pars exhibet una triumphi?
  Cur manibus plaudens laurea ſerta tenet?
Altera Myrthigenis fertur ſpectanda coronis,
  Ut ſolet ornari tempora victor Amor.
Vera cano. Jam victor Amor cognata ſubibit
  Sidera: io! plauſus & bona verba date.
Pugnatum ſatis eſt: ſcelerum genus omne ſubactũ:
  Ipſa jacet furvas mors religata manus.
Nil ſuperat palmæ; niveis victoria pennis,
  Omnia divino ſubdidit imperio.
Victorem jam pompa vocat; volat æthere toto
  Aliger, exultans increpitatque moras.
Paret Amor, terrâque Deus ſe tollere inerti
  Incipit, & liquidas cernuus ire vias.
Vix tamen humanas etiam nunc linquere ſedes
  Suſtinet; invitum tendere ad aſtra putes,
Reſpicit aſcendens, iterumque iterumque reſiſtit;
  Utque poteſt, verbis triſtia corda levat.
Non ego vos totus, cariſſima turba, relinquo;
  Affectu præſens uſque manebit Amor.
Corpora, non animos, diſtantia dividet illa,
  Sic quoque vos illic, hîc ego ſemper ero.
Quamquam nec penitus diſjungi corpora debent,
  Tantum oculis abitu ſurripienda meo.
Scitis enim, nec certa fides fruſtrabit amantes,
  Quæ fuerint menſæ dona ſuprema meæ.
Ritus hic æternùm poſitis celebrabitur aris;
  Et cibus hic, omni tempore, corpus erit.

In-

Digitized by Google

Intereà cælo pulchro volat ordine pompa,
 Deque ſuo ſurgens orbe triumphat Amor.
Hinc illinc teneri per inane vagantur amores,
 Evincti ramis tempora nexilibus.
Pars lætum pœana canit, pars ſigna triumphi
 Exhibet, & variis fertur in orbe notis.
Principio ſubnixa humeris attollitur arbor,
 Lumine vicinis æmula ſideribus.
Trabs funeſta prius, ſed nunc venerabile ſignum,
 Romaniſque decus clarius alitibus.
Victorum ſubeunt tituli, non oppida capta,
 Auctaque ſanguineis æquora fluminibus:
Sed fractæ ſine ferro acies, immania monſtra,
 Oraque Gorgoniis æmula verticibus.
En ut adhuc ardent, tabulâque minantia in ipsâ,
 Sævitiam nondum depoſuere ſuam
Succedunt monſtris, erepta furentibus arma,
 Sarcina pennigero non inamæna choro.
Hic iræ gladios, & ſpicula tincta veneno,
 Hic Paphios arcus, fractaque tela gerit.
Tertius, ornatus & inania munera luxus,
 Vix bene ſubjectis omnia fert humeris.
Eſt quoque qui falſi phaleras, fucoſque nitentes
 Exhibet, & larvâ ludit in ambiguâ,
Quæque referre mora eſt, irritamenta malorum,
 Rapta triumphatis præmia criminibus.
His ſuperingreditur, non curru vectus eburno,
 Ipſe ſibi currum ſufficit auctor Amor.
Evolat & nullo figens veſtigia fulcro,
 Ut ſolet aſcendens ſurgere flamma, ſubit.

Lucida ſi ſolium nubes præſtare videtur,
Et famulas pueri ſuppoſuere manus;
Ad pompam faciunt hæc inſtrumenta triumphi,
Cætera qui tollit, ſe quoque tollit, Amor.
Sed neque Phœbæâ cinguntur tempora lauru,
Aptior eſt placido myrtas odora Deo.
Quamvis & radii, circum caput omne micantes,
Serta ferant, ſacris nobiliora comis.
Tertia, quæ ſuperat ſtellas ſplendore, corona
Sunt Animæ, circùm quas volitare vides.
Fortunatæ Animæ, quas fractis ipſe catenis
Dicitur infernis eripuiſſe locis:
Primitiaſque trahens operum, fructumque laboris,
Promiſſos ſecum devehit ad ſuperos.
Hoc Deus ornatu cæli capitolia ſcandens,
Paulatim humanis tollitur ex oculis.
Terra fugit magis atque magis, propioraque Divûm
Atria, victori jam patuere ſuo.
Ferte, quid hic facio? ſurſum mea corpora venti;
Quid moror indignâ compede fixus humo?
Me quoque vicit Amor, cur non captivus in auras
Efferor? en promptas in nova vincla manus.
Pars ero, ſimque precor, non dedignanda triumphi,
Et Dominum quâvis conditione ſequar.
Hei mihi! conantem, telluris inutile pondus
Detinet, & ſurſum corpora ferre vetat.
At levis eſt animus, nec carcere clauditur ullo;
Liber hic, invito corpore, ſumma petit.
Terra vale; nihil ablato delectat Amore,
Omnia diſcedens abſtulit ille Deus.

Jamque

Jamque mei meliore feror ſuper æthera parte;
Jam puncto tellus cernitur eſſe minor.
O! ubi ſum? quæ ſeſe oculis hîc ſcena repentè
Objicit, humanis non referenda modis?
Quot modo naſcuntur conſpecto gaudia Amore!
Quot reſonant longis carmina porticibus!
Permeat inſolitus ſinuoſa per atria ſplendor,
Et quaſi vicino creſcit ab igne calor.
Protinus exciti conſurgunt ordine Divi,
Obviaque it Domino turba beata ſuo.
Ipſe Pater superûm, Natum complexus ovantem,
Oſcula divinis datque capitque labris.
Ipſe ſuâ dignam teſtatus origine prolem,
Æquali ſecum collocat in ſolio.
Devictumque regens curis æqualibus orbem,
Par habet imperium cum Patre victor Amor.

ELEG. VII. *Amor patronus.*

CUr aliquis nimiâ ſcelerum ſub mole fatiſcens,
Ora gerit cerâ pallidiora novâ?
Cur malè demiſſis cervicibus anxius errat,
Et parat infeſtas in ſua membra manus?
Cur caput impatiens ſcopulis illidit acutis?
Aut ſua ſubjectis corpora mergit aquis?
Mortales ſperate. Manent ſolatia lapſis,
Vivit adhuc idem commiſeratus Amor.
Ille quidem ſuperas procul hinc diſceſſit in oras,
Non tamen ex omni parte reliquit humum.
Ecce patrocinium cælo ſuſcepit in ipſo,
Et miſeris abſens auxiliator adeſt.

Quas

Digitized by Google

Quaſlibet Orator gaudet defendere cauſas;
  Omnibus eloquium commodat ille ſuum.
Tu modò te tanto ſupplex committe Patrono,
  Quem premit admonitu mens ſcelerata ſuo.
Nil ita difficile eſt, quod non facundia vincat,
  Divinâque potens diluat arte Deus.
Judicis offenſi ſciet hic captare favorem,
  Primaque tutelæ ponere fulcra ſuæ.
Tum ſcelus extenuans fragiles cauſabitur artus,
  Deque paludoſo membra ſubacta luto.
Arguet antiqui contagia prima parentis,
  In ſobolem pravis didita ſeminibus.
Arguet adverſæ ſtygiæ molimina turbæ,
  Altera cognatæ ſemina nequitiæ.
Arguet inſidias fucataque munera mundi,
  Non minus illecebris pernicioſa ſuis.
Denique naturæ non neſcius ipſe caducæ,
  Mille modos alios experietur Amor.
Quod ſi nulla ſatis crimen ſolertia ſolvat,
  Et maneat quâvis grandius arte malum;
Non ideò victus vacua diſcedet arenâ,
  Cauſaque promiſſâ noſtra carebit ope.
Arma ſagax aliunde petet, noxamque profeſſus,
  Defendet meritis impia facta ſuis.
Scilicet ut generis luiturus crimina noſtri,
  Ipſe Puer durâ vagiit in ſtipulâ.
Ut malè ter denos vitam produxit in annos
  Pauper, & in patriâ vix bene notus humo.
Ut tandem, effuſo per vulnera mille cruore,
  Occidit, hinc illinc brachia fixus Amans.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ego, clamabit, perſolvi ſanguine pœnam,
  Altera cur miſeris pœna luenda venit?
Hoc moriens ligno, vitam mortalibus emi,
  Cur pretio merces non datur empta ſuo?
Si jus in dubio eſt; en, quæ mihi pignora ſervo;
  En, ut hiant membris vulnera quinque meis.
Si potes, illa nega; ſed non potes, optime Judex;
  Pacta ſemel ſtabit tempus in omne fides.
Tu quoque, quem pietas de judice ſæpè parentem
  Efficit, hoc memini conſuluiſſe boni;
Atque ita placari noſtro voluiſſe cruore;
  Judicium ſerva jam, precor, ipſe tuum.
Sic Amor orabit; ſic jam fortaſſe perorans,
  Eloquio Patrem vulneribuſque movet.
Et quiſquam, tanto cauſam dicente Patrono,
  Horreat; aut veniæ non putet eſſe locum?
Ah pereat, qui ſervari ſic ipſe recuſat!
  Non eſt illa meo pectore durities.
Peccavi, fateor, quis enim ſine crimine vivat?
  Peccavi, & vacuus non ſinor eſſe metu.
Sed cauſam ſuſcepit Amor: tutore ſub illo
  Quamlibet irati judicis ora feram.
Non tamen offenſum nimium ſecurus adibo:
  Impetus indomitis convenit ille Scythis.
Supplicis in morem veniam, rituque reorum
  Percutiam trepidâ pectora nudâ manu:
Deteſtanſque nefas, atque impia facta retractans
  Perfundam lacrymis triſtia verba meis.
Quid moror, ah demens? Jam forte movebitur urna;
  Cur necdum partes ipſe nocentis ago?

Ecce reum piget admiſſi; date ſigna doloris
Lumina, & effuſis currite fluminibus.
Cætera Amor faciet; verbiſque potentibus uſus,
Ipſe dabit precibus pondus ineſſe meis.
Ipſe ſui noſtris virtutem fletibus addet
Sanguinis, hâc etiam parte Redemptor, Amor.

ELEG. VIII. *Amor violentus.*

NOn fruſtrà jaculis Amor eſt inſtructus & arcu:
Non fruſtrà rutilas excutit igne faces.
Nam, quamvis puer eſt, formâque decorus honeſtâ,
Expugnare ſolet pectora blanditiis.
Sæpè tamen, ſtimulis quando nil proficit illis,
Cogitur armatâ ſumere tela manu.
Sic quoq; divus Amor nonnunquam cornua ſumit,
Et pietas partes ipſa furentis agit.
Saulus in exemplo eſt, quo nemo ferocius olim
Auſus erat placido bella movere Deo.
Jamque furens campis exercitus ibat apertis,
Vincula Chriſtiadis exitiumque ferens;
Ipſe minax, certuſque novam ſubvertere gentem,
Agmen agit celeri conſpiciendus equo.
Abſiſtunt oculis ignes, vultuque retorto
Ora fluunt guttis albida ſpumigeris.
Dextra tenet tabulas, & publica juſſa furoris,
At lateri pendens lethifer enſis adeſt.
Sic furit impatiens, prædæque cupidine raptus,
Fertur hians campo, præcipitatque viam.
Intereà minimas Phœbus contraxerat umbras,
Ibat & innubi candidus axe dies;

Cum

Digitized by Google

Cum ſubitò piceis obduci nubibus æther,
  Et condi tenebris omnia Cymmeriis;
Mox etiam toto mugire tonitrua cælo,
  Terraque concuſſis montibus ima quati.
Fulmina reſtabant; ſed Amor caligine in ipsâ
  Emicat, & manibus tela coruſca gerit:
Intorquenſque faces equitem proſternit ovantem,
  Et multo circum fulgurat igne Deus.
Additur horrifico ſonitu vox miſſa per auras,
  Et gravis attonitis inſtrepit auriculis.
Quo ruis, infelix? quid Amori, Saule, minaris?
  Quem malè mulctatum ſufficit eſſe ſemel.
Noſter eris certè, quidquid, veſane, repugnas,
  Ut ſonipes duros calcitrat ad ſtimulos.
Ille ſupinus humi recubans, & lumine captus,
  Vix audet tremulis hiſcere pauca labris.
AgnoſcoDominumque meum, Regemq; potentem:
  En ſequor, & juſſis pareo, Sancte, tuis.
Tu modò, quid jubeas, certis ediſſere verbis,
  Parentique tuo numine dexter ades.
Sic ait, & junctas tollens ad ſidera palmas,
  Palpitat excuſſâ pulverulentus humo.
Saule, jaces; ſed ſorte brevi meliore reſurges:
  Non oculos ſemper nox teget iſta tuos.
Crede mihi, non illa tibi nocitura ruina eſt;
  Quæque videbatur pœna, levamen erit.
Ut ſolet, hîc in te medicâ Deus utitur arte:
  Vulnerat, ut vitam reddere poſſit, Amor.
Altius interdum ſubeat ſi corpora ferrum,
  Hoc morbi gravitas, conditioque jubet.

Digitized by Google

Ille quidem minimis vellet perſtringere punctis,
Aut etiam ſuccis utilis eſſe bonis;
Sæpè ſed invitâ demiſſa novacula dextrâ,
Quod tentata nequit mollior herba, facit.
Sic manus illa tibi voluit, Tarſæe, mederi.
Parce metu, non eſt uſque futura gravis.
Eriget afflictum caſus, carniſque tenebræ
Subjicient animo plura videnda tuo.
Et puto, jam cœpit ſe mens attollere ſurſum,
Deque ſuo terras deſpicit alta jugo.
Quem malè ſpernebas, jam vulnere notior illo,
Incipit accenſis vivere pectoribus.
Tu modò conceptam flammam nutrire memento,
Et tam clementem ſemper amare Deum;
Quemque prius toto pulſum procul orbe volebas,
Perfer ad Eoas, Heſperiaſque plagas.
Quod precor, evênit: Paulo Doctore per orbem
Protulit imperium, juraque dicit Amor.
I nunc, qui terras & cælum queſtibus imples,
Hic tibi cum cœpit durior eſſe Deus.
Ah quoties blandis pertentans pectora telis,
Maluit oblatis conciliare bonis!
Tu tamen effrænis nimium, luxuque protervus,
Vertis in auctorem dona recepta ſuum.
Quid faciat? Telum pharetræ de parte ſiniſtrâ
Eximit, & jaculo te graviore ferit.
Quà volat, inſequitur morbus, bellumque, fameſq;,
Nudaque pauperies, & ſine fronte probrum.
Quid, miſer, exclamas? quid vulnera ferre recuſas
Hac ſine nulla tuis eſt medicina malis.

Vivere

Digitized by Google

Vivere ſi cupias, medicam cur rejicis artem?
Hac Amor auxilium jam tibi ferre parat.
Ah potius ſupplex dextram venerare medentem
Ut coëant curâ vulnera facta novâ.
Fac, age, durities animo diſcedat ab illo,
Et placidus præbe mollia corda Deo.
Tunc, reor, eveniet: telo graviore relicto,
Aurea depromet ſpicula rurſus Amor;
Imperiiſque ſuis parenti, & amare volenti,
Plus etiam forſan, quam dedit antè, dabit.

Eleg. IX. *Amor puniens.*

Eſſe quid hoc dicam? Num rerũ invertitur ordo,
Et labat emotis machina cardinibus?
Non jam concuſſis abrupti nubibus ignes,
Miſſaque cum ſonitu tela triſulca volant;
Tota ſed è ſummo properant deſcendere cælo
Sidera, & immenſis orbibus ima petunt.
Nec mora: collucent latis incendia terris,
Et ſubitò flammas angulus omnis habet.
Nil manet intactum, nullo diſcrimine regnat
Mulciber, & ſtragem ſpargit ubique ſuam.
Parte aliâ, pelago montes tolluntur aquarum,
Æquoraque horrifico murmure pulſa ſonant:
Exundantque vadis latices, flammiſque coruſcant,
Ut ſuperinfuſo cum ſalit igne merum.
Inde per adjectos ſuperato littore campos,
Unda ruit, calidis fumida vorticibus;
Depoſitiſque odiis, communi fœdere certant,
Hinc vapor, hinc verſis fervida Tethys aquis.

Digitized by Google

Hei mihi ! quid miſeris ultrà, quid denique reſtat ?
  Jam cinis eſt, toto quidquid in orbe fuit.
Follor ? an horriſono fatalis buccina cantu,
  Quatuor à ventis ultima ſigna dedit ?
Continuò tumulis tellus diſcedit apertis,
  Et retegit cineres mobilis urna ſuos.
Hinc illinc putridis adrepunt oſſibus oſſa,
  Juncturaſque ſuas reſtituenda petunt.
Pulvere quid levius, tamen hic conſiſtere mole
  Incipit, & ſpeciem carnis habere novæ;
Mox quoq; connexis ſenſim ſuccreſcere nervis,
  Aptaque diverſis fingere membra locis;
Dum vetus ingrediens reparatos ſpiritus artus
  Luce redux fruitur, fitque quod ante fuit.
Jamque recens ortas, dictu mirabile, turmas
  Undique collectas unica vallis habet.
Pars melior, levibus dextrum petit æthera pennis,
  Membra gerens ipſis æmula ſideribus:
Altera deformis lævâ conſiſtere terrâ
  Cogitur, & niſu corporis ima tenet.
In medio divinus Amor, cava nubila ſupra
  Eminet, & rigidi judicis ora refert.
Prô Superi! formâ quantùm mutatus ab illâ,
  Cum tener in cunis vagiit ante puer!
Illa ubi nunc pietas? En rugis aſpera frons eſt,
  En duo terrificis fulmina ſtant oculis.
Ore furor toto eſt, qualem non Æacus olim
  Dicitur attonitis exhibuiſſe reis.
Scilicet hoc Amor eſt: nil Numine mitius illo,
  Cor ubi non quovis durius ære riget?

Sed

Sed cum victa malis patientia læſa furorem
  Induit, & cæpit non memor eſſe ſui;
Nil illo gravius, nil eſt truculentius uſquam;
  Iraque vim, ſpretâ de pietate, capit.
Sic malè contemptos Deus hic ulciſcitur ignes,
  Et faciem poſito ſumit amore trucem.
Hinc rotat ardentes oculos, & fronte minaci
  Deſpicit ad lævum noxia corda locum.
Hinc tonat eloquio Judex, & crimina mille
  Exprobrat, acceptis reddita muneribus.
Aſpice, quid tandem crebro, gens impia, faſtu,
  De tam manſueto feceris ipſa Deo.
Scis, puto, quod cælo veniens, poſitâque coronâ,
  Hæc quondam induerim membra caduca puer.
Scis, ut vita mihi duris exercita rebus
  Fluxerit, unius ſemper amore tui.
Omnia cum dederim, ſcis ut corpuſque, cruorque,
  Addita ſint donis ultima dona meis.
Si dubitas, en quinque rubent per corpora plagæ,
  Duratura tuæ pignora perfidiæ.
Quot tibi fluxerunt illis de fontibus olim
  Munera, quot flammæ ſunt data ſigna meæ?
Præcipuè vobis, quos, non ſine numine noſtro,
  Abluit ad fontes utilis unda ſacros.
Omnibus errantes volui compeſcere telis,
  Omnibus illectos flectere blanditiis.
O quoties, turpi rurſum fuligine tinctos,
  Ad nova detersâ balnea labe tuli!
Tunc etiam, ne plaga iterum recidiva noceret,
  Præveniens medicâ ſæpè tuebar ope:

Et modò lenitum demulſi ſuavibus herbis,
Et modò languenti vulnera pauca dedi.
Hoc quoque cum facerem, ferro ſum molliter uſus,
Ut ſolet in nato durior eſſe pater.
Quid tamen hæc pietas potuit molimine tanto?
Quid retulit domino tam bene cultus ager?
Immemor accepti, ruis in diverſa, favoris;
Nec pudor eſt ipſi vertere terga Deo:
Contemptiſque bonis, niſi quâ me lædere poſſis,
Eligis immergi ſordibus ipſa tuis.
Hîc tandem exultas, hîc ſidera vertice tangis;
Hac tibi ſors melior nulla venire poteſt.
Hîc monitus ſecura meos, & fulmina rides,
Et quidquid ſtygio creditur eſſe lacu.
Sed ſatis illuſum eſt: jam fabula veſtra peracta,
Inque vicem partes ordior ipſe meas.
Si contemptus Amor fruſtrà ſua perdidit in te
Munera, non idem perdet & arma Deus.
Rumpere ſub pedibus, tellus; accendere, flamma,
Fortiùs; en vires largior ipſe novas.
Nunc furiis exure tuis, quos urere noſtræ,
Molliter accenſæ, non potuere faces.
Nec modus aut finis diris cruciatibus adſit;
Ignis in ingratos ſæviat uſque reos.
Fletis, ut aſpicio, pœnæque horrore futuræ,
Crinibus arrectis, intremuere pedes.
Sed fruſtrà lamenta ſonant; tunc flere decebat,
Cum lacrymis ex hoc ſanguine pondus erat.
Tunc equidem guttâ fueram placabilis unâ,
Nunc fruſtrà totus funditur Oceanus.

Nil

Digitized by Google

Nil mihi vobiſcum poſthac erit: ite rebelles,
Et præ me placitis vos ſatiate bonis.
Ite, nec invideo; veſtro jam diſcite damno,
Quam grave ſit Dominum deſeruiſſe ſuum.
Deſero deſertus, rediturus tempore nullo;
Altera judicii pæna ſit illa mei.
O Amor! ô illas, Divûm mitiſſime, voces,
Parce, precor, noſtris mittere temporibus.
Quid mihi ſubducto tandem ſupereſſet Amore?
Quis ſine te poſſet non gravis eſſe locus?
Ah! ſatis eſt pœnæ: non eſt quod plura mineris;
Non opus ultrices commemorare rogos.
Unica, quâ miſeros terres, abſentia, averno
Quolibet aſperior, ſupplicioque foret.
Certè ego non aliud pro tempore deprecor illo,
Tantùm oculis liceat ſemper adeſſe tuis.
Si modò deſerui, nondum irrevocabilis ira eſt:
En redeo, profugos tu quoque flecte pedes.
Aut potius prior ipſe veni, ſtimuloque potenti
Erronem retrahens, ſub tua ſigna voca.
Si facis, æternum poſthac juramus amorem,
Tu rata fac flammis hæc mea verba tuis.

ELEG. X. *Amor remunerans.*

NOn ſemper judex igni ferroque minatur;
Gentibus indomitis convenit ille furor.
Ut vitium pœnas, ſic virtus præmia poſcit,
Et pietas irâ non ſolet eſſe minor.
Tu mihi teſtis eris, qui ſumpto judicis ore,
Invitus ſcelerum tam gravis ultor eras.

Pro-

Digitized by Google

Protinus obductam gaudes deponere frontem,
Rurſus & ingenio mitior eſſe tuo.
Non jam vindicibus collucent ignibus auræ,
Nec lateri nigrâ fronte miniſter adeſt.
Quâ reſidet nubes, flammâ meliore coruſcat,
Ut rutilo Titan dum vehit orbe diem.
Cernitis? an nondum timidos attollere vultus
Ipſa recens clades, excidiumque ſinit?
Cernite, felices animæ, ſelectaque turba,
Nil ultrà judex, quod timeatur, habet.
Triſtia fugerunt toto ſpectacula cælo,
Seque ſuis iterum reddidit almus Amor.
En etiam formoſa magis nunc exhibet ora;
Et fulget, quo non fulſerat antè, modo.
Convenit & cultus, ferrum manus ecce remiſit,
Sertaque fert meritas implicitura comas.
Nec mora: deſpiciens pendentes æthere turmas,
Incipit hæc blando verba referre ſono:
O! pridem dilecta cohors, quam pignore tanto
Aſſertam regnis non piget eſſe meis.
Per vos, cara mihi, per vos illuſtria fiunt
Vulnera, quæ membris lætor hiare meis.
Vos ego participes operum ſocioſque laborum,
Glorior hæredes inſtituiſſe meos.
Plura quidem regnis optaram millia noſtris,
Donaque, queis poterant promeruiſſe, dedi.
Sed malè ſeducti fallacis imagine mundi,
Neſcio quid veris præpoſuere bonis.
Nec moror ingratos; vos damna rependitis illa,
Parſque mihi, quod gens tota fuiſſet, erit.

Hæc

Digitized by Google

Hæc igitur ſperata dies, totieſque petita,
Præmia quæ factis uberiora feret.
Tollite victrices reparati corporis artus,
Hos quoque polliciti pars manet imperii.
Ut comites pugnæ, ſic & reddantur honoris,
Evincti lauris tempora perpetuis.
His ego jam pondus pigræ telluris ademi,
Utque leves zephyros corpora ferre dedi.
Addimus & nulli pectus penetrabile telo,
Membraque non aliis ſuccubitura malis.
Non ſqualor, non fletus erit: ſed gaudia cælo
Mens bona, cum ſocio corpore, ſemper aget.
Sed leviora loquor, promiſſæ munera vitæ,
Ipſe ſuis donis ſe ſuperaddet Amor.
Scandite, felices animæ, cæloque receptæ;
Quantus adeſt, toto vos ſatiate Deo.
Cernite; jam vultus retego, non qualis in ævo
Artibus humanis conſpiciendus eram;
Sed qualis quantuſque fui, cum temporis expers,
Me Pater æterno gigneret ipſe ſinu.
Cernite fœcundo genitum de Numine Numen,
Utque pari flammâ Spiritus inde fluat.
Atque ita naturâ tres inveniantur in unâ,
Hinc Pater, hinc Soboles, hinc Utriuſque calor.
O ubi ſum! Quæ, nate Deo, ſpectacula pandis?
Jam video, finem non habet ullus amor.
Mens ſtupet admonitu mercedis imagine tantæ,
Promiſſiſque fidem vix habet ipſa tuis.
Hæccine futilibus reſpondent præmia factis?
Nec levior merces, quam Deus ipſe, datur?

Tu

Tu facis hoc; meritiſq; tuis, Amor optime, pondus
Quamlibet exiguis rebus adeſſe, jubes.
Tu, Deus, effuſi pretio me ſanguinis ornans,
In tua tranſlato præmia jure vocas:
Deberique mihi ſtatuis nil tale merenti,
Non niſi virtuti debita dona tuæ.
O Pietas! ô larga nimis mortalibus ægris
Gratia! Se nobis, & ſua donat Amor.
Pars quota reddetur, ſi me quoque tempus in omne
Imperiis ſubdam devoveamque tuis?
Et tamen hoc unum, magno pro munere poſcis;
Cor petis à nobis, prætereaque nihil.
Accipe, jam ferimus, totumque dicamus Amanti;
Nil quiſquam poſthac auferet inde ſibi.
Tu modò tantillum ſerva, Dulciſſime, munus,
Perpetuumque tuum tu tibi redde bonum.
Tunc erit, ut merces tandem promiſſa ſequatur,
Et per te vultu perfruar ipſe tuo.

ELEG. XI. *Epilogus.*

Litora contigimus: feſſo date ſerta Poëtæ,
Quies tener in niveo pectore regnat Amor.
Ardua, confiteor, majoraque viribus auſus,
Sæpè procelloſis ſum prope merſus aquis.
Sæpè vadis hæſi, ſcopuliſque impactus acutis,
Non ſemel illisâ vulnera puppe tuli.
Sed tamen, utcumque eſt, poſt tot diſcrimina rerum,
In portum ſubiit quaſſa carina ſuum.
Sic quoque quod ſubeat, judex mirabitur æquus;
Et leviter dicet, Non ſine laude venit.

Sci-

Digitized by Google

Scilicet in magnis honor eſt tentaſſe laborem,
  Et non oppreſſum mole fuiſſe ſuâ.
Hoc ſatis ad laudem nobis: qui plura requiret,
  Naviget, & poſt me per mare currat idem.
Tu quoque, Divus Amor, cujus ſub nomine cœptum
  Crevit, & impoſito fine quieſcit opus,
Qualemcumque tui conatum ſuſcipe Vatis,
  Præque ſuis animum reſpice carminibus.
Cætera defuerint, certè non defuit ille:
  Vena licet pauper, mens opulenta fuit.
Ipſe, nec ignoras, quóties majora daturus,
  Indolui votis eſſe minora meis;
Rurſus & incudi ſuccedere ſcripta coëgi,
  Artifici melius perpolienda manu.
Sed neque poſterior vincebat cura priorem;
  Aut, ſi vincebat, conveniebat opus.
Nempe minus ſemper, quam res poſcèbat, & ipſe
  Optabam fruſtrà, dicere Muſa dabat.
Cur tamen excuſo noſtræ delicta Camænæ?
  Quis potuit tanto digna referre Deo!
Quis numeris religare ſuis, quæ ſumma Poteſtas
  Fecit, & è gremio divite fudit Amor?
Non vagus ille puer, ſed Numine natus, idemque
  Numen, & omnigenûm vena perennis opum.
Sic, Amor, incultos defendere poſſe libellos,
  Sic juvat errores extenuare meos.
Si malè te cecini, qui non effabilis ulli es;
  Pluraque, quam poſſim commemorare, facis;
Da veniam: non hæc ſoli tribuenda Poëtæ,
  Tu pariter cauſæ non nihil hujus habes.

Vel

Vel pietate minor, vel majeſtate fuiſſes:
 Utraque mortali carmine major erat.
Sed rurſum abripior, votiſque illudor iniquis:
 Non Helicon tanti, totaque Theſſalia eſt.
Ah noſtris potius non enarrabilis eſto
 Verſibus, & quâvis grandior arte, Deus!
Utque ſit hoc notum, ſacrâ pendêre columnâ
 Hæc ſine: Materiâ carmina victa ſuâ.

FINIS.

MAG 2017219

Digitized by Google

Digitized by Google